AUTHOR:

ALBERTUS, MAGNUS, SAINT

TITLE:

ALBERTI MAGNI LIBER DE PRINCIPIIS MOTUS...

PLACE:

MUNCHEN

DATE:

1909

Master Negative #

93-81605-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Albertus, Magnus, Saint, ~~bp. of Ratisbon~~, 1193?-1280.
Alberti Magni liber De principiis motus processivi, ad fidem Coloniensis archetypi edidit H. Stadler... München, Straub, 1909.
56 p. 23½ cm.

"Programm des Königlichen Maximilians-gymnasiums für das schuljahr 1908/1909."

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/21/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Alberti Magni liber

de principiis motus processivi

ad fidem

Coloniensis archetypi

edidit

H. Stadler.

Programm

des

Königlichen Maximilians-Gymnasiums

für das

Schuljahr 1908/1909.

München 1909.
Druck der Akademischen Buchdruckerei von F. Straub.

Albertus antequam scripsit libros de animalibus, quoniam Aristotelis libro *περὶ ζώων κινήσεως* tum carebat, de suo composuerat libellum de motibus animalium,[1]) qui etiamnunc exstat (edit. Parisin., vol. IX, p. 257—303). ‚Sed quia', ut ait ipse in initio huius libri, ‚in Campania iuxta Graeciam nobis agentibus[2]) venit in manus nostras libellus Aristotelis de motibus animalium, etiam hic ea, quae tradidit, interponere curavimus, ut sciatur, si in aliquo ea, quae ex ingenio proprio diximus, deviant a Perypatheticorum principis subtilitate'.

Fuit haec versio Latina Aristotelis fere eadem, quam exhibent exempli gratia codd. Parisin. 30, Bibl. St. Victor (cf. Jourdain-Stahr, Forschungen über Alter und Ursprung der lateinischen Übersetzungen des Aristoteles. Halle 1831, S. 389) et Vindobon. 195 [rec. 3099, saec. XIII], quem ego huc benigne mihi transmissum contuli, dedissemque textum, si dandi spatium fuisset. Est vero, ut tum erat mos, versio interlinearis, quae nulla sermonis concinnitatis vel elegantiae habita ratione singula singulis reddat vocabulis; legitur tamen admodum perpolita atque emendata in vetustioribus editionibus Aristotelis Latini velut in ea, quae prodiit Venetiis apud Nicolaum Morettum anno MDLXXXIII, vol. IV, p. 587 sqq. Hanc sequitur ille in omnibus capitulis praeter ea, quas disgressiones esse professus ex proprio hausit ingenio; sed, ut solebat, quaecumque legebat, pertractando mutabat, augebat, complebat, ut vel aliena sui faceret ingenii. Ut tamen, si quis velit, dinoscat Aristotelis sententias ab eis, quas addidit noster, in margine posui singulas paginas editionis Academiae Regiae Borussicae.

Codicum manuscriptorum huius libri, quos decem enumerat vir de Alberto optime meritus: Melchior Weiß in Primordiis novae bibliographiae B. Alberti Magni (Parisiis MCMV), p. 76², N. 280, ego praeter Coloniensem W. 258a, s. XIII (C) adhibui cod. Vindo-

---

1) de mot. anim. II 1, 1 (p. 285) quibus autem fiat instrumentis, dicendum erit in libris anatomiae animalium, quos nos faciemus in libro animalium, ubi de nervis . . . . . sermo habebitur.

2) de tempore illius itineris alio loco disputabimus.

bonensem 2292 (Salisb. 370), s. XIV (V), sed textu quam poteram diligentissime collato nihil inveni praeter menda vel nugas, ut ex lectionum conspectu duorum capitulorum patebit:

c. 1.		c. 2.	
p. 7, 2	qualiter alia animalia coniunguntur corpori	6	qualiter *deest*
7	igitur *deest*	21	vel
8, 1	omni *deest*	22	aliquis motus aeternus
13	quod hoc trahat quod trahunt	22	ibidem *deest*
		31	esse *deest*
		32	particularibus *deest*
9, 6	et motum imperfectum *deest*	11, 14	concomitatur
8	sensum	21	proportio
13	ad motum motus	18	est *deest* 27 brachii *deest*
37	raptationis	32	motus quantitatis
10, 1	postea *deest*	12, 2	aliquo
2	iter agentibus	8	autem *deest*
4	quae de ingenio p.	18	thyon 19 ipsis *deest.*

Sed haec sufficiant. Etiam in vocabulorum ordine V saepissime congruit cum editionibus: cf.

p. 8, 10	animalia sugunt venis	15	est causa
27	suis locis	20	nobis ante
9, 21	medium est	11, 9	circularis motus
10, 1	in Campania nobis	11, 15	propter laxarum iuncturarum curvaturas
4	de proprio ingenio		

et passim. Maiores lacunae sunt. c. 2: (*deest* huiusmodi inflexio et giratio utimur in hoc animalis motu sicut centro quod fit). c. 4: (*deest* hoc autem non bene dictum est). tract. 2, 9 (*deest* ita moventur multotiens sicut praeter voluntatem). — tract. 2, 9 *post* motus *deletum est*: quam habet in se humiditatem vitalem quae facile alteratur.

In orthographia vix differt V ab C. (sompnus, antempnae, conchilia, pictagorici *al.*).

Codicem vero Coloniensem esse archetypum cum ex aliis permultis causis apparet, quas in editione mea librorum de animalibus proferam, quae in aedibus B. G. Teubneri prodibit, tum ex his, quae in hoc libro continentur.

Ac primum quidem in initio huius libri scriptum erat manu priore: Incipit liber animalium vicesimus secundus qui est de

animalibus motivis *eqs.* sed postea eadem, ut videtur, manus vocabulis ‚animalium vicesimus secundus' erasis suprascripsit: de principiis motus proces ^{XXII} sivi. Deinde in initio capituli secundi nunc quidem legitur: ‚ubi in libris animalium volantia .... distinximus', sed scriptum erat: ‚ubi in libris praemissis huius scientiae volantia *eqs.* Item in titulo tractatus secundi post: ‚Tractatus secundus' deletum est: ‚vicesimi secundi libri de animalibus'. Item II 7: ‚quemadmodum diximus in scientia de cordis natura et anatomia' *ante* diximus ‚supra' deletum est. Item in fine II 10 deletum est: ‚In praehabitis autem istius libri de animalibus vocati diximus de animalibus in genere.' Item II 11 scriptum fuerat: ‚si ad mentem revocetur, quod in praehabitis de natura et anatomia cordis determinatum est'; tum pro deleto, praehabitis' suprascripsit manus posterior: libris animalium. Tum in fine totius libri deleta est subscriptio: ‚Explicit vicesimus secundus animalium, incipit vicesimus tertius.'

Denique I 3, f. 340 v^0 cod. Colon. ab vocabulo ‚aliquid' (p. 13, 17—14, 5) usque ad ‚navis autem' fere omnia in rasura scripta sunt, in insequenti autem folio leguntur haec: fol. 341 r^0 — at navim cum enim ventus proicit spiritum sive flatum sive spiret suaviter sive vehementer. eadem / ratione sicut si ventum magnum faciat si enim aliquid aliud a spiritu qui est aer proiectus erit ventus ipse sicut / ostendimus in scientia metheorum (Met. III 1, 5) quod est vapor terreus aerem usque transcendens et eum fortiter impellens / tunc necesse est primum unde spirat aer stabile esse ad minus quod non movetur hoc modo motus quo mo / vetur motus et si movetur vapor transcendens aerem. necesse est causam primam moventem et genera / ntem omnino stabile esse in loco generationis venti. quia aliter ventus non movebitur nec movet. aliquam / igitur partium quae sunt venti et extra ventum existens necessario erit stabilis et firma quae sua potentia / et sua virtute impellit spirando et si ista particula est vapor. oportebit quod rursum haec particula venti / aut alicui quod est idem sibi licet non sit idem parti que movetur aut alicui extrinsecorum quae est pars eius ita quod / requiritur ad centrum ipsius motus stabiliatur et firmetur extrinsecus extra id quod movetur et quod ista stet firma et immobilis (aliquando *del.*) oportet enim semper primum movens esse immobile et hoc esse extrinsecum ei quod movetur / licet aliquando sit pars illius totius cui attribuitur motus et causa motus sicut patet in animalibus: animalis enim est motus / appetitivus et sua pars est quae est immobilis et haec est extrinseca semper illi parte per quam sicut per instrumentum / motus exercetur. sicut planum est per antedicta et similiter est in vento cuius motus est spirans aer et movens / extra ipsum est vapor et si utrumque moveatur. movens primum extra utrumque existens erit

locus et causa / generationis vaporis haec omnia tamen faciunt unum compositum ex motore et mobili cui attribuitur / motus venti ventus igitur impellens navim si existat ipse in navi quae movetur non posset firma / ri in aliquo stabili nisi firmaretur ad navim et cum moveatur id quod est immobile movens ab eo quod movetur ab ipso. non posset rationabiliter dici quod ventus moveret navim. sed potius ad mo / vendum aliquid aliud firmaretur ad immobilem navim. ex quo etiam manifestum est quod ventus non est solum aer / motus hic enim est in navi (et hoc quidem esse ventum tantum fluxum aeris multi dixerunt sicut osten / dimus in libro metheorum (Met. III 1, 6). pernecessarium igitur est quod primum movens stet in quo firmatur motus / eius quod facit impulsum aliter enim sequeretur quod idem (et id *del.*) et in eodem esset et quod movet (primum *del.*) pellens / suo motu et id in quo firmatur sicut in immobili id quod impellit foras et hoc est impossibile, quia / si dicamus terram esse, quae movet vaporem terreum et vapor terreus movet navim patet quod non / est idem terra immobilis et navis. nec est idem terra et vapor cum navis moveatur sicut pulsa / et vapor sicut pellens et pulsus. et terra non moveatur sed sit pellens virtute sua tantum. Sic / igitur movens navim malus et antenni est immobile et movens ventum quod est primum suflans est immobile.

quae omnia duabus lineis decussatim perductis deleta sunt. Quae cum ita sint, satis apparere puto haec non scribae sed scriptoris esse libellum antea libris de animalibus insertum seperatim edituri. Accedit quod, qui antecedit liber vicesimus, finit in: ‚Oportet ergo de differentiis animalium secundum sensum et motum localem determinare: et aliud ad hoc inducemus libri principium‘, qui vero insequitur vicesimus primus, orditur his vocabulis: ‚Determinandum autem nunc videtur de perfectione et imperfectione animalis secundum animae facultates et potestates eqs.‘ quae pertinent ad nostri libri exitum: ‚Qualiter igitur anima unitur corpori et qualiter movet ipsum, a nobis determinatum sit hoc modo‘, desumpto vero hoc libro, ut est in editionibus, sensu plane carent.

In rebus orthographicis scriptor illius aetatis morem secutus parum sibi constat. Namque scribit: hyare, ymaginatio, dyameter (dyametrus) asseyd, perypathetici, Ysaac, fantasya; harnundo, habundare, phythagoras, athlas, anathomia — et: girare, sillogizare, pithagoras, diameter, asseid, pixis, phisica, fantasia, armonia, spera (*pro* sphaera), corda (*pro* chorda), nichil, exequi, opositus, amminiculum, ammirari, aqquirere *al.* declinatur: maiore *et* maiori, navem et navim *al.* Pro ae ubique ponitur e (anime, terre, hee), quod solum ad nostram scribendi normam mutavimus.

F. 339 v[0]. Incipit liber *de principiis motus processivi*, qui est de animalibus motivis secundum locum, ex quorum natura scitur, qualiter anima iungitur corpori. cuius primus tractatus est de modo motus processivi.

c. I. Et est digressio declarans, unde in animalibus causatur motus constrictionis et dila⟨ta⟩tionis.

Generaliter igitur intelligendum, quod animalia habentia motum non participant motum localem nisi per sensum, quia non moventur, nisi quando fit apprehensio delectabilis vel tristis alicuius; et ideo secundum quod percipiunt delectabile vel triste, ita moventur. Cum igitur imperfectissima animalium non habeant sensum nisi tactum et gustum, secundum quod est quidam tactus, et habent appetitum confusum causatum a delectabilibus tactus, sequitur necessario, quod ipsa non moventur nisi motu dilatationis et constrictionis in eodem loco manentia. Et causa huius est, quod tactus non sentit rem nisi per medium intrinsecum: nec sentit aliquid tangibilium nisi coniunctum sibi per substantiam, ita quod ultimum eius, quod sentitur, sit simul cum ultimo eius, quod sentit. Cum igitur non sit motus localis animalium propter aliud, nisi quatenus animal motum coniungatur delectabili per sensum, non potest esse motus de loco ad locum in animali, quod non apprehendit delectabile vel triste, nisi in eodem loco coniunctum sibi: sed in eodem loco ad delectabile coniunctum sibi dilatatur et a tristabili coniuncto sibi retrahitur per constrictionem: et huiusmodi animalia sunt adhaerentia locis suis immobiliter, et sunt quaedam ostrea et conchylia: et ideo, quia propter immobilitatem a loco conveniunt cum plantis, et propter motum in loco, non ad locum, conveniunt cum animalibus, media esse dicuntur inter plantam et animal, quod movetur de loco ad locum. Amplius haec animalia necesse est habere os inferius: et ea, quae inferius sunt in aliis ani-

---

1 de principiis motus processivi *in ras.* v. praef. p.5 2 ex quorum-corpori *script. est supra* cuius primus tractatus *eqs.*

malibus, oportet in ipso esse superius. Cum enim in omni animali necesse sit nutrimentum accipere, oportet esse os aliquod per quod nutrimentum accipiat. Cum autem non accipiat nisi a loco, in quo est, oportet, quod os habeat conversum ad locum: et ideo est inferius loco infixum.

Amplius cum nutrimentum a loco tractum sit impurum et permixtum terrestri grosso, quod non nutrit neque convenit substantiae eius, quod nutritur, oportet ipsum habere os non hyans ut animalia, sed potius sugens per poros parvos sicut faciunt radices plantarum: et ideo talia animalia venis quibusdam radicalibus sugunt et in hoc iterum cum plantis conveniunt. Amplius cum per poros non ingrediatur impurum reiciendum, sed potius purum incorporabile, sequitur, quod hoc, quod sic trahunt huiusmodi animalia, totum sit incorporabile: et non habent vias egestionum animalia huiusmodi, sicut neque plantae. Haec igitur sunt, quae cum plantis habent communia. Cum animalibus autem communicant sensu motum causante et in appetitu et in motu et in aliqua corporis mollicie. Sensus autem huiusmodi animalium est sicut sensus dormientis, qui non agit, nisi quando evocatur aliquo tangente ipsum extrinsecus et evocante ipsum, sicut quando excitatur animal a somno: et hoc est, quando tangitur a delectabili convenienti vel tristabili inconvenienti et quia vigilia est expansio animae et spiritus et caloris et humoris [I 1, 8, p. 134.] ad exteriora, sicut diximus in libro de Somno et Vigilia, ideo tunc movetur motu dilatationis: in contristantibus autem propter motum animae et spiritus et caloris et humoris ad interiora propter fugam rei contristantis movetur motu constrictionis. Sic igitur et hac de causa moventur ea, quae immobilia sunt, a locis suis. Quaedam autem sunt quae a locis moventur, sicut stincus et spongia, et animal [de animal IV, 1, 8. 340 r°.] cuius substantia est sicut albugo ovi, quae de loco ad locum moventur|| motu constrictionis et dilatationis et moventur velociter nec videntur habere sensum nisi tactum: et si habent gustum, non habent eum nisi per modum cuiusdam tactus: et non habent os ad figuram animalis comedentis, sed potius porosa sunt in una parte sui et per poros sugunt humorem nec habent vias apertas, per quas emittatur superfluitas egestionis, sed ad modum plantarum tradunt nutrimentum prima digestione ab impuro separatum. Causa autem motus de loco ad locum esse videtur perceptio aliqua vel inquisitio nutrimenti in loco remoto: et videtur, quod haec perceptio fiat per extensionem

aliquam sensibilis per medium extrinsecum: et hoc non puto fieri nisi per aliquem confusum cum gustu odoratum: et quia olfactus eorum cum gustu confusus est, ideo organum odoratus in corpore suo determinatum in figura non habent.

Ex omnibus autem hiis patet, quod haec animalia non habent nisi sensum imperfectum et motum imperfectum: et ideo non habent in corporibus suis alas vel pedes. Sensum autem voco imperfectum, quando non habent nisi sensus magis naturales et materiales sicut tactum et gustum, secundum quod est quidam tactus: hii enim minime habent de ratione sensus, et multum de ratione naturae, sicut ostendimus in scientia de Anima et in scientia de Sensu et Sensato. [II 4, 1 (II 3, 37 sq.) III 4, 9 III 5, 1. I 1.] Imperfectissima autem virtus motiva est, quae non movet nisi ad modum motus primi sensitivi, quod est cor, et non movet ad imitationem motus alicuius celestium corporum. Cor enim est primum sensitivum, et suus motus est per modum constrictionis et dilatationis. Signum autem imperfectionis sensus est, quod sensibile apprehensum non videtur facere sensum nisi interius in primo sensitivo. Talis enim sensus, sicut jam diximus, esse videtur dormientis, et hic sensus multum habet naturae et parum animae, sicut dicit Ysaac, vocans tales sensus esse naturales. Amplius talis sensus medium quoddam est animati et non animati, sicut somnus est medium mortis et vitae: et quia motus sequitur sensum, ideo etiam motus non est nisi primi sensitivi, ad cuius contractionem et dilatationem contrahuntur et dilatantur exteriora: et ideo ad talem motum organa motus natatilium vel gressibilium aut volatilium seu etiam reptilium natura non formavit. In hiis autem, quae perfectiora sunt secundum sensus, sunt exteriora organa sensuum. Tactus enim organum perfectum, sicut in libro de Sensu et Sensato ostendimus, est intraneum, et est cor [I 15 (cf. de anima III 5, 1).] principaliter. Alii autem sensus in exterioribus fiunt organis: et quia perfectam habent sensibilium perceptionem, oportuit, quod perfectionem haberent motus processivi, per quem moventur ad sensibilia apprehensa, eo quod sensibile salvat animal sentiens, et esset imperfectum animal, nisi per motum coniungi posset sensibili apprehenso, sicut in libro tertio de Anima determinavimus. [III 4, 9; 5, 1–3 (p. 416).]

Ex dictis igitur manifestum est, quod perfectio motus est a corde, procedente virtute motiva in membra exteriora, quae formata sunt ad motum ambulationis vel volatus vel reptionis vel natationis. De modo ergo huius motus, licet iam in libro de Motibus animalium [II 2, 1–4.]

hoc, quod nos sensimus, tradiderimus, tamen quia postea in Campania iuxta Graeciam nobis agentibus pervenit ad manus nostras libellus Aristotelis de motibus animalium, etiam hic ea, quae tradidit, interponere curavimus, ut sciatur, si in aliquo ea, quae ex ingenio proprio diximus, deviant a Perypatheticorum principis subtilitate.

c. II. In quo probatur, qualiter in omni motu animalium aliquid oportet esse immobile, circa quod est motus.

ζ κ 1 p. 698 a Dicamus igitur secundum Aristotelem, quod de motu appetitivo, quo animalia a seipsis moventur, jam alias provisum et a nobis et determinatum, quot genera habeat, ubi in libris Animalium volantia et gressibilia et natatilia et reptilia et contrahentia et extendentia se distinximus, et in eisdem libris distinximus, quae sunt causae eorum, quae naturaliter accidunt singulis generibus motuum. Nunc autem providendum est ignorantibus in hac scientia de universali causa, quae causa est movendi in qualicumque motuum praedictorum. Quia igitur omnium motuum principium est movens aliquod, quod movet, et quia idem movens praecipue in motu animali ipsum sibi principium est movendi in hoc, quod a seipsis moventur animalia, et quia primum movens, quod est primo primum, est immobile, iam longe
VIII 2, 6; 11. ante a nobis est determinatum in octavo Physicorum, ubi etiam
VIII 1, 2—4. a nobis determinatum est de motu, utrum sit aeternus aut non: et si est aliquis aeternus in omni tempore, determinatum est ibidem
VIII 3, 1; 10. a nobis, quis est ille: et ille habet conformitatem cum motu animalium, eo quod celum sicut animalia movetur a seipso. Sed quae ibi dicta sunt de movente, universaliter dicta sunt: in physicis autem oportet non solum accipere universale movens secundum rationem communem, sed oportet descendere, ut videatur movens primum in singulis et praecipue in hiis, quae sensibilia sunt animalia: quia in physicis per singularia inquirimus rationes universales: eo quod in physicis particularia digniora sunt universalibus: quia per singularia opinamur esse convenientes et necessarias esse rationes universalium et universales: quia eas, quae conveniunt particularibus, acceptamus et eas, quae non conveniunt, abicimus. In hiis autem, quae de uni-

20 *post* determinatum *del.* a nobis *m.* 1 21 *post* determinatum *del* de not *m.* 1 21 *post* motu *del.* celi perpetuo *m.* 1 25 *ante* in *del.* sed *m.* 1 32 quia eas — 11, 1 conveniunt *in marg. m.* 1.

versalibus moventibus in physicis diximus, manifestum est, quod impossibile est moveri ea, quae a se moventur, si uullum primorum moventium sit stabile et immobile. igitur et in ipsis animalibus, quae a se moventur, si debeant a se moveri, oportet aliquam partium stabilem et immobilem esse: propter quod etiam membra motiva in animalibus sunt inflexa et girativa: eo quod illo, circa quod fit hujusmodi inflexio et giratio, utimur in hoc animalis motu sicut centro, circa quod fit motus circularis: eo quod giratio membri moti fit circa illud: et ideo totum membrum sive tota pars, quae composita est ex immobili movente et eo, quod movetur, sicut si dicamus totum crus aut totum brachium fit et unum secundum aliquem modum et duo secundum alium modum, et fit rectum secundum unum modum et curvum sive curvatum secundum alium modum: eo quod in ipso conmutatur potentia sive virtus movendi et accidens mobilitatis et immobilitatis propter curvaturas laxarum iuncturarum, quae sunt in ipso. Cum enim flectitur et movetur, oportet, quod aliquid eius moveatur sicut id, quod giratur, et aliud stat sicut id, quod est sicut signum sive centrum. Verbi gratia, per motum curvaturae sive girationis inflectatur tota dyametrus AD: in hoc motu D stabit, et A mota describit ‖ motum AC, quae est portio circuli contra centrum. 340 v⁰.

Quod ut melius intelligatur, sit dyametrus AD brachium, quod movetur circa vertebrum armi sive scapulae, et punctum A sit pars adjutorii, quae volvitur in pixide armi, et sit punctum A initium motus superius et descendat usque ad C: tunc enim modo brachio in pixide describitur motus AC, et quanta est portio AC circuli circa pixidem sive in pixide, tantus est motus brachii totius. Sed hoc interest in dyametro mota super centrum aliquod et bracchio moto in pixide armi, quod punctum, super quod dicitur diameter moveri, secundum omnem modum est indivisibile: eo quod (sicut dicit Euclides) punctus est, cui pars non est. Et in eodem omnino Elem. I 1 (Heibg.).
immobili secundum dici solum et explanationem quantitatis motus solum dicitur moveri dyameter, quae est linea indivisibilis: secundum veritatem autem nichil eorum movetur, quae sunt mathematica, eo quod talia abstracta sunt a motu et materia: et ideo

2 *post* primorum *del.* sit *m.* 1. 6 $\overset{\text{illo}}{\text{eo}}$ *del. m.* 1 19 *ante* inflectatur *del.* infelc. *m.* 1 20 *post* AD *del.* et in hoc et dividatur *m.* 1 34 a motu *m.* 2 *supra del.* a motu.

haec posita sunt secundum ymaginationem motus celestium: Sed
ζ κ 1 p. 698 b. immota illa sive immobilia, quae sunt in membrorum animalium curvaturis, id quod est immobile virtute et accidente, fit aliquando unum indivisibile, quando ponitur fixum, in quo et circa quod sit motus. Quandoque autem dividitur et movetur, quando ponitur et ipsum in alio vel circa aliud aliquid moveri: et quandoque accipitur ut unum habens uicem puncti continuantis media flexura sicut cubitus, quando totum brachium movetur in iunctura armi: quandoque autem accipitur ut duo divisa, quando in media junctura movetur inferior pars, sicut asseyd movetur in cubito: tunc enim extremitas adiutorii, quae est in cubito, accipitur in ratione immobilis: et inferior extremitas asseid accipitur ut mota circa ipsam, et sic cubitus dividitur in duo: et similiter est de aliis membris. Sic ergo in prius inducto exemplo principium motus designatum per A stat immobile: inferior autem pars dyametri movetur, sicut in motu brachii inferioris, in quo sunt asseyd, stabilis est cubitus: in motu autem totius brachii cum adiutorio superiori stat armus sive humerus. Similiter autem in motu tibiae stat immobile genu: in motu vero totius eruris cum coxa superiori stat immobile chyon quod est scia sive pixis coxae: oportet enim et in ipsis membris totis habere principium aliquod juncturae stabile, unde erit principium virtutis moventis, quando movetur pars membri, et in illo stante est id, quod est firmans motum et reducens girative circa idem per ligamenta et cordas et nervos et musculos,
II 1, 1–3. sicut diximus in libro de Motibus animalium: omnino enim sub tali immobili movetur omne, quod movetur secundum aliquam animalis partem: et hoc palam est per ante dicta.

c. III. Qualiter in omnibus immobile, quod est firmans *et portans* id, quod movetur, oportet esse extra ipsum, quod movetur.

ζ κ 2 p. 698 b. Omnis autem statio et immobilitas, quae est in membris animalium, numquam erit firma et immobilis et movens, nisi aliquid extrinsecus existens extra totum animal generaliter et omnino stet immobile, super quod et in quo movetur animal sicut terra subiecta

8 *post* quandoque autem *del.* ad *m.* 1 10 asseyd (arabice sâ ʿid Hommel) = antebrachium 11 adiutorium = os humeri 19 chyon = ἴσχιον scia = ἴσχιον 24 *post* animalium *del.* quem fecimus *m.* 1 27 et portans *supra lineam* 31 extra totum animal *in ras.* 31 super quod — 13, 1 ambulantium *in ras.*

pedibus ambulantium: et ideo ordinantes mundum per immobilia moventia et mota digne providentes tractaverunt de illo. Hoc enim, quod dictum est, omnem motum esse ab immobili movente, habet contemplationem, quae non solum extenditur ad animalia et ad membra ipsorum in motu appetitus sed etiam ad motum totius universi et in omnibus, quae moventur tam a natura quam ab arte: semper enim videtur, quod aliquid sit immobile extra id, quod movetur, existens, quod subicitur et firmat id, quod movetur. Sicut enim, quando motus est in animalibus, oportet in eodem animali aliquid esse immobile, si debeat moveri, sic multo amplius, si moveatur localiter totum animal, oportet esse extra totum animal aliquid immobile, quod firmet motum eius, quod movetur. Si enim quis supponat aliquid, super quod est motus omnis, sicut *muris* ambulatio, quae fit in terra vel in harena, non est in hiis neque erit umquam motus, nisi terra stet et harena. Neque volatus ante erit in aëre nec natatio in mari, si non supponatur stare aër aut mare, si non moveatur per accidens, sed motu proprio hoc, quod movetur: de tali enim motu hic loquimur. In omnibus enim neccessarium est esse *aliquid subjunctum ei, quod movetur, quod sit immobile, in quo vel super quod est motus, et quod sit aliud omnino ab eo, quod movetur, sicut terra a muribus motis est in terra.* Si autem non sit immobile, super quod est motus, non movebitur id, quod ponitur moveri.

Huius autem quaestionis testimonium fide dignum est, quod nauta volens a litore movere navim, egreditur extra navim, et figit pedes in solido terrae in litore, et tunc firmatis antennis ad malum aut ad aliam partem navis impingendo movet navim levius. Si autem in eadem navi, quae movenda est, existens aliquis ponendo antennas ad malum aut ad proram temptat hoc operari, nequaqaum movebit navim, quantumcumque fortiter impingat: neque enim Boreas aut Zephirus umquam moverent navim, nisi essent extra navim flantes in navis malum: et ideo si essent venti in navi, sicut pictores a puppi navis pingunt egredi ventos, non moverent. Pictores autem lineis quibusdam pingunt effi-

2 moventia (*primus ductus litterae* m *assimilatur in C siglae 7 unde:* et mov. Vulg.) 7 $\overset{\text{subicitur}}{\text{movetur}}$ *7 del.* 8 $\overset{\text{movetur}}{\overline{\text{m}}}$ *del.* 9 oportet $\overset{\text{aliquid}}{\text{aliquid}}$ esse *del.* 13 muris *supra linea* 18 aliquid *cf. praef.* p. 5 27 existens aliquis *in marg.* m 1 28 $\overset{\text{cum } m \text{ 2.}}{\text{quantumque.}}$

p. 699 a 1 *giantes, sicut magnus ventus faciat flatum suaviter aut vehementer: si enim aliud a navi aliquid erit ventus flans, tunc oportet, quod aliqua partium venti, quae principium est flatus, sit stabilis et firma: et tunc rursus haec particula sua potentia et virtute impellit navim in aliquo extrinsecorum firmata: aut enim facit impulsum eidem toti navi aut alicui, quod est pars navis, per quod tota navis impellitur. Si autem impellens navim idem ipsum sit in navi et firmetur ad ipsam navim, rationabile est, quod non moveat navim. Est enim pernecessarium, quod hoc stet, in quo firmatur impellens:* navis autem non stat, sed movetur. Si autem opositum huius dicatur, continget, quod idem est et in eodem est et quod movetur et in quo firmatur foris extra hoc, quod movetur,
340 v⁰ *fin.* 3, p. 699 a 12 id quod impellet: et hoc est impossibile, sicut patet ex praedictis.

341 r⁰ *med.* c. IV. An in motu celi sit aliquid corporeum immobile, a quo moveatur celum.

Quaeret autem aliquis de eo, quod movet celum (in motu enim celi oportet esse movens), utrum motus eius sit ab immobili corpore primo movente; quia non quaerimus de primo movente simplici, eo quod in animalis motibus videmus, quod id, quod movetur, movetur ab immobili parte aliqua, quae est extra id, quod movetur, et est pars eius, cui attribuitur motus: et ideo, cum motus celi sit voluntarius motus, quaeret aliquis, utrum aliquod tale immobile primo, in quo sit virtus movens, sit in motu celi? si enim sit tale primum immobile, oportet, quod nec haec pars celi sit aliqua nec in celo sit: si enim aliquo modo sit idem celo secundum totum aut secundum partes, sequetur, quod ipsum movetur: et sic idem movebit seipsum et erit motum et immobile, quod est impossibile. In omnibus *enim* motibus supradictis necesse est aliquid immobile esse, quod tangit idquod movetur, quando movet ipsum, sicut adiutorium tangit brachium in cubito, quando movet ipsum: et oportet, quod huiusmodi movens non sit pars mobilis sive eius, quod movetur. Amplius id movens, quod est stans immobile, non erit pars mobilis, quod fertur.

5 *post* extrinsecorum *del. m.* 1 cui est eadem aut pars aliqua exstat in codice illa pars deleta, de qua supra diximus (praef., p. 5) 13 hic 26 enim *in marg. m.* 2.

Recte enim dicunt hii, qui asserunt, quod unum de tribus sequitur, quod videlicet quod aut nulla stat particula, cum circulariter fertur spera, aut tota stat secundum aliquem modum, quo tota non transmutat locum: aut si stat aliqua particularum ipsius, et aliae moventur, necesse est infringi continuum ipsius sperae, eo quod particula non mota seperatur ab ea, quae movetur in ipsa. Tertium autem horum trium est impossibile, et sic videtur, quod non possit esse motus sperae ab immobili aliquo, quod sit in ipsa spera.

Quidam autem non satis convenienter arbitrantur solvere inductam de motu sperae quaestionem dicentes, quia poli sperae habent quamdam potentiam et virtutem movendi, cum tamen sint puncta sperae non habentia magnitudinem aliquam, eo quod sunt extrema puncta sperae, per quae transit axis sperae, super quem ipsa spera volvitur. Hoc autem non bene dictum est. Non enim est possibile moveri aliquam substantiam huiusmodi secundum motum unicum a duobus indivisibilibus. Constat autem, quod afferentes istam solutionem duos polos indivisibiles et immobiles ponunt esse in spera: propter quod etiam quidam alii dicunt, quod aliquid immobile se habet ad motum omnis sive motum mundi, qui est motus celi: et hoc dicunt esse terram, quae sic se habet ad motum omnis
mundi, sicut immobile in animali se habet et animalia, ‖ quae moventur 341 v⁰.
per seipsa. Hoc enim quidam iam sub dubitatione introduxerunt et quaestionem de hoc fecerunt, quam ob causam terra staret, si non stat propter causam, quae dicta est, quod det movere universo: hii enim, qui fabulam de Athlante texuerunt, dixerunt Athlantem pedes habere stabiles et firmiter immobiles super terram et non dicunt fabulosum mendacium, sed potius in tegumentis fabularum ab intelligentia quadam volunt dicere, unde sine aliquo immobili sit motus celi. Dicunt enim Athlantem esse sicut dyametrum extensam de polo ad polum, quae convertit et regirat celum secundum conversiones circa polos: et ideo fingunt esse hominem maximum, pedes in polo uno et caput in alio habentem, et brachiis et manibus celum circum-
volvere. Et est haec fabula Pithagoricorum, sicut diximus in secundo II 1, 3 sq.
de Celo et Mundo. Et intendunt dicere, quod mundus totus est unum animal, cuius immobile est terra, a qua diametri sicut cordae et nervi et venae procedunt ad circumferentiam et circumvolvunt

unum de tribus
1 alterum duorum *del. m.* 1 28 *post* sit *del.* manente *m.* 1.

eam, sicut membra animalis moventur ab uno immobili. Secundum enim supra inducta contingit et sequitur tunc, quod convertens celum stat immobile propter terram stantem, cui innititur et sic inductam de motu omnis volunt solvere quaestionem. Sed dicentibus hoc necesse est dicere cum hoc, quod ipsa terra, quae est immobilis, non sit pars eius, quod fertur in motu totius, debebat autem pars quaedam esse eius, cui attribuitur motus, ut patet ex praedictis.

Amplius nos oportet dicere, quod aequae sint fortitudines et vigores moventis, quod stat, cum eo, quod movetur: est enim quaedam multitudo et vigor virtutis, secundum quam potest id, quod stat, movere, cum hoc supponatur esse movens: quia nisi virtus eius excellat id, quod movetur, nullo modo movebit ipsum. Necessarium enim est esse quamdam analogyam virtutum inter movens ed id, quod movetur, sicut et in contrariis motibus: si enim unum contrariorum debeat movere reliquum, oportet, quod in aliqua analogia excellat ipsum: pares enim virtutes impassibiles sunt ad invicem, eo quod neutra excellit aliam: et ideo licet se alterent, neutra tamen transmovebit alteram: et similiter est in virtutibus stantis, quod movet, et virtute eius, quod movetur ab ipso: sed sub invicem continebuntur secundum plus habere virtutis: tunc enim id, quod fortius est, subiciet alterum et continebit ipsum et movebit.

Sive ergo Athlas movere celum dicatur, sive aliud aliquid p. 699 b 1 huiusmodi, quod sit movens contentum ab intrinseco sperae totius, non magis hoc maiori virtute firmatur in medio centro sperae, quam tota spera virtutis habeat: et ideo, si terra dicatur esse stans, virtute maiori sperae movebitur terra a medio, hoc est a loco suo, sicut si asseyd maioris sit virtutis in movendo quam adiutorium a loco suo per motum cubiti; et non poterit immobiliter stare cubitus: Sicut enim movens movet quadam excellentia suae virtutis, sic etiam mobile, quod movetur, movebit id, quod stat, si excellat virtus eius in motu. Si enim sit similis fortitudo eius aut etiam plus vel maior quiescenti et moventi: similem enim huius virtutem esse constat, quod in motu celi est mobile motum et non movens. Si igitur sic a terra immobili firmetur Athlas movens totum celum, tantam oportebit esse fortitudinem terrae ad standum immobiliter, quantam habet totum celum, quod movetur, et quantam habet Athlas movens totum

33 *post* celi est *del.* ōī m. 1 *unde postea* etiam *factum est.*

celum: aut terra nutabit et cedet sub pedibus Athlantis. Si autem hoc est impossibile, impossibile erit celum moveri ab aliquo huius modi intrinsecorum, quod infra speram celi contineatur. Quaedam p. 699 b 12. autem quaestio ex praeinductis orta est circa motum partium celi sive universi. Partes autem vocamus omnia, quae infra speram continentur, secundum quod etiam terra, quae centrum est, pars est celi et similiter ignis, cuius circulus et spera est intra speram orbis. Omnia enim haec referuntur ad motum secundum eos, qui Athlantem movere dicunt: et omnibus hiis a Phytagoricis motus celi et universi attribuitur.

Quaestio igitur quaedam oritur de istis propria, quam oportet praevidere, antequam alia huiusmodi accidentia determinentur. Si enim nos stationem et firmitatem immobilitatis et stationis terrae superponamus potentiae celi in mobilitate ita, ut dicamus terram fortiorem esse in stando, quam celum possit moveri, cum manifestum sit secundum Phythagoricos, quod terra movet celum a medio centro, in quo stat: constat autem, quod fortitudo terrae quiescentis, a qua est haec potentia movendi, non est infinita: eo quod terra ipsa finita est et probatum est a nobis in octavo et septimo Physicorum, quod VII 1, 1 sq. corporis finiti non est potentia infinita: propter quod etiam pondus VIII 4, 2 sq. terrae, quod est virtus sua, qua quiescit in medio, non est infinitum.

Amplius impossibile dicitur multis modis. Uno enim modo dicitur impossibile, quod nullo modo fieri potest.|| Et impossibile 342 r°. dicitur, quod natum est fieri, licet elevatum sit supra possibilitatem operantis aut patientis. Non enim eodem modo dicimus vocem impossibilem videri et solem, quamvis enim lumen videatur a nobis, tamen excellit lumen in rota solis visum nostrum. Vox enim ex necessitate non videtur, eo quod non est de hiis, quae innata sunt videri: lumen autem, cum sit innatum videri, non videtur propter excellentiam. Cum igitur celum dicitur incorruptibile et indissolubile, opinamur ex necessitate esse indissolubile, ita quod impossibile sit dissolvi primo modo impossibilitatis. Secundum autem superius inductam rationem, quod celum ab Athlante stante in terra moveatur, contingit celum non ex necessitate esse, *quod* indissolubile innatum p. 699 b 23. sit: et huius ratio est, quia contingit celum moveri maiore et excellenti virtute motoris, quam ipsum sit mobile per naturam suae mobilitatis.

34 quod *in marg. m.* 1.

Contingit enim ipsum moveri ex virtute, quae fundat terram in stando et quae simul movet ignem totum et supernum corpus totum cum omni celorum congregatione in circuitu per circularem motum et insuper 'Athlantem super se stantem et girantem, per quem universitatis materia et machina designatur in fabula Phythagorica. Excellit ergo virtus moventis virtutem mobilis, quotienscumque autem superhabet motus de virtute moventis super virtutem mobilis, dissolvitur mobile et motus et solvitur proportio moventis et mobilis, ita quod seperantur ab invicem. Ergo solvetur armonia motus celi, quae est inter movens et mobile, et ipse motus deficiet. Si autem dicatur, quod non ⟨est⟩ in motore superhabens sive excellens virtus, hoc non impedit: quia licet non sit, tamen contingit in ipso virtutem esse excellentem: ostendimus enim in septimo et octavo
VII 2, 1 sq. VIII 2, 1. Physicorum, quod virtutes corporeae, quae sunt in maiori maiores et in minori minores, recipiunt additionem et diminutionem, addita vel diminuta quantitate. Cum igitur terra finita sit, erit pondus eius finitum et additionem recipiens et sic exellet et corrumpet et mobile et motum. Non enim potest dici, quod pondus terrae infinitum sit et ideo additionem non recipiat: non enim contingit esse huiusmodi virtutem infinitam nisi per corpus infinitum: corpus autem nullum
I 2. contingit esse infinitum, sicut ostendimus in primo de Celo et Mundo; constat autem, quod non contingit umquam dissolvi celum et motum eius per aliquam naturae potentiam: igitur motor eius non *est* ille,
VIII 4, 7. qui est inductus: et propter hoc ostendimus in fine octavi Physicorum, quod motor eius est indivisibilis et impartibilis non habens magnitudinem penitus. Si enim diceretur possibile celum dissolvi, quid prohiberet ipsum contingere dissolvi? nisi esset enim impossibile dissolvi, ita quod oppositum est necessarium (necesse est enim celum non dissolvi) absque dubio dissolvi contingeret ipsum. Sed
I 1, 8–9. de hac quaestione alia ratio est, quam in primo de Celo et Mundo determinavimus.

Sed ad quaestionem redeamus quaerentes, utrum oporteat in motu quiddam esse immobile et stabile, quod sit extra id, quod movetur, ita quod non sit pars ipsius, aut non, et utrum hoc sic sit necessarium esse in universo et motu ipsius? Videtur enim for-

11 est V *deest* C   14 corp$\overset{e}{\wedge}$e   18 *pro* p^te *delo pos.* pondus *in marg. m.* 1   23 est *addidit m.* 2 (÷)   32 *post* in *del.* omni *m.* 1.

tasse inconveniens alicui esse, si principium motus, quod est immobile, sit interius intrinsecum ei, quod movetur: hiis enim, qui sic opinantur, videtur bene dicere Homerus, quando dicit: „Sed non p. 700 a 1. Iliad. Θ 21.
retrahetis a celo ad terram Iovem, magistrum omnium, neque si multum fatigabimini." Omnes autem trahentes et dii et deae. Homerus videtur velle principium motus non esse intrinsecum, quod est principium sicut pars immobilis, a qua est motus: celum autem non esse mobile ab huiusmodi extrinseco principio, quod sit stans, sed potius ab intrinseco principio divino et impartibili non habente magnitudinem penitus: et ideo dixit, quod Jupiter, quem dicit primum motorem esse celi, non potest trahi a celo, in quo est sicut movens ad terram, ut ex ipsa tamquam ex immobili parte sperae moveat: et ideo, si omnia convenirent numina deorum et dearum et omnes vires ponerent, non traherent primum motorem, qui magister est omnium, a celo, quod movet, ad terram, ut ex ipsa tamquam ex immobili sede moveret. Quod enim omnino immobile est ab aliquo, ita quod natum est immobile esse ab illo, a nullo omnino talium, quantumcumque multiplicetur virtus ipsius, moveri contingit. Et secundum dicta Homeri solvitur quaestio iam pridem introducta, qua quaeritur, si contingit solvi congregationes et proportiones celi, si p. 700 a 5.
motus eius pendet ab immobili principio? quoniam in veritate, si pendet ab immobili virtute corporea divisibili, solventur celi proportiones, sicut obiectum est: Si autem pendet ab immobili intrinseco impartibili, non solventur celi congregationes et proportiones, sicut ostensum est in octavo Physicorum; et dicemus tunc, quod in solis VIII, 4.
animalibus mobilibus secundum locum oportet esse huiusmodi immobile movens, quod sit extra id, quod movetur.

c. V. Utrum in omni motu sit movens et mobile ita, quod in eodem sint movens et motum, sicut in eodem sunt movens et motum in motu locali animalium.

Sed tunc quaeremus, quot sint moventia in ipsis, quae moventur secundum locum. Oportet enim statum esse in huiusmodi moventibus, non enim vadit hoc in infinitum. Illud igitur, in quo est status ‖ erit primum. In omnibus autem talibus oportet hoc stare, 342 v°.

6 *post* motus *del.* celi *m.* 1   *post* esse *del.* ī p *m.* 1   12 ipsa *in* ipso *corr. m.* 2.

p. 700 a 9. hoc autem moveri. Oportet enim aliquid stare, in quo sicut in movente firmatum mobile moveatur, quemadmodum si dicamus, aliquid de partibus mobilibus firmet alteram, dicemus illud firmans esse tamquam stans, sicut diximus superius, quod partium animalis una se habet ad alteram. Sed quaeret aliquis, sicut diximus de inanimatis, de quibus non est adeo perspicuum, si aliquid est immobile firmatum, quod movet alia: et ideo quaeritur, utrum omnia talia habent in ipsis quiddam stans et movens primum, quod videlicet est primum movens, secundum quod primum movens proximum movens appellamus, et quod tale sit stans, a quibus stantibus firmari est necesse ea, quae moventur, sicut videmus hoc esse necesse in hiis, quae moventur in animalibus. Si autem hoc detur, quod sit aliquid immobile stans, quod movet ea, quae moventur, hoc utique impossibile est esse ignem aut terram aut aliquid inanimatorum, quae moventur, aut aliquam partem ipsius. Sed si est, oportet esse extra ipsum, quod movetur, aliquid aliud, a quo haec moventur primitus: omnia enim inanimata ab alio moventur, quod est extra ipsa, sicut
VIII 2, 3. ostendimus in octavo Physicorum: sed sola animata moventur a seipsis et inanimata moventur ab aliquo extrinseco: omnium autem eorum, quae sic mobilia sunt, ut diximus, quod si moventur ab aliquo immobili, quod habent in seipsis principium motus, sunt ipsa eadem, quae movent et moventur: quia huiusmodi sunt animalia, quae movent seipsa.

De huiusmodi autem moventibus et motis quod dictum est, de animalibus est dictum eo, quod huiusmodi omnia, quando moventur in seipsis, habent stare, quando volunt: et stans firmum, quod
VIII 2, 3. movet primum, habent in seipsis, sicut in Physicis dictum est. Si autem in superiorum corporum motu est aliquid stans immobile, quod est primitus sive primum movens, ex dictis non est palam: et si est immobile in talibus movens, de ipso alia est ratio, quam de immobili movente, de quo hic loquimur, sicut patet per ante dicta. Animalia autem quotquot moventur, omnia moventur firmata ab aliquo, quod est extrinsecum membro, quod movetur, tam inspirantia quam respirantia. Non enim differt proicere aut movere pondus
p. 700 a 25. parvum aut magnum, sicut faciunt spirantes et tussientes: et si spirantes faciunt hoc, tunc facient et respirantes. Videmus enim, quod

33 *post* movetur *del.* sive sit motus inspirationis *m.* 1.

in scia virtus proicit coxam, quando est incessus, ipsa immobilis manens, cum tamen tota coxa et crus sit pondus magnum. In inspiratione etiam et respiratione oportet stare et trahere et movere musculos pectoris et pulmonis, ut fiat motus respirationis, licet sit pondus parvum. Idem autem est de musculis, per quos fit tussis et oscitatio et omnes huiusmodi motus: quia nullus omnium fit nisi ab aliquo immobili trahente et movente cordas et nervos membrorum mobilium. Quaeramus autem, utrum in omni motu oportet quiddam ζκ5p.700a26.
stare, quod movet alia. Verbi gratia, utrum in eodem numero, quod movetur secundum locum et movet, oporteat quiddam stare firmatum aut etiam in eo, quod transmutatur ipsum a seipso secundum aliquam speciem motus ad formam, sicut in eo, quod augmentat seipsum? nichil enim augetur, nisi per virtutem augentem, quae est in eo, quod augetur. Et similiter quaestio est de alterante seipsum per virtutem, quae est in alterante, sicut in eo, quod assimilat et unit sibi cibum.

De generatione autem et corruptione, quae sunt a principio secundum ingressum rei in esse, est alia ratio: eo quod nichil generat seipsum et nichil corrumpit seipsum. Si enim generatio est illa, quam vocamus primum motum generationis et corruptionis, quae est via ad esse rei, haec erit iam causa motuum aliorum: quia ille motus sive mutatio est de non subiecto ad subiectum; omnes autem alii motus sunt de subiecto constituto per generationem ad subiectum. Generationem autem dico et corruptionem, eo quod non est sine corruptione generatio: et sic generatio et corruptio omnium est causa motuum aliorum: quemadmodum in animali et in toto mundo universaliter causa prima motus est haec, quando perficitur in esse et subiecto animal: et ideo non potest ita quaeri in generatione primum movens, quod sit causa sibi ipsi movendi, sicut in animali, quod seipsum movet.

Quaeramus igitur, quid sit augmentationis causa, si aliquando idem sibi ipsi eidem fiet causa augmentationis: et quid sit causa alterationis, si aliquando idem sibi ipsi eidem fit causa alterationis, sicut idem sibi ipsi est causa motus localis? Si autem dicatur, quod non idem sibi ipsi est causa alterationis et augmentationis, tunc non est necesse unum primum esse movens in hiis: quia tunc primae

10 *post* locum *del.* 7 mav *m.* 1.

augmentationes et alterationes fiunt ab alio extra movente et ab aliis moventibus fiunt generationes et corruptiones, tunc non est necesse, quod omnino, sive generaliter idem eidem sibi sit causa movendi secundum omnem speciem motus et mutationis: secundum hoc enim praeest et prius est movens mobili et generans generato: nichil autem omnino est prius sibi ipsi et ideo oportet, quod in talibus aliud a generato et moto sit generans et movens.

[343 r°.] De anima autem, si movetur a se ‖ ipsa aut non; et si movetur, [I 2, 1 sq., III 5.] quomodo movetur, dictum est a nobis in hiis, quae de Anima determinata ⟨sunt⟩. Quoniam autem inanimata moventur omnia ab alio [VIII 2, 3.] movente et nullum a seipso, dictum est a nobis in Physicis. De primo autem mobili, quod est semper motum, secundum quem modum movetur et quomodo movet primum movens, diffinite dici habet in [Metaph. XI 2.] hiis, quae sunt de Prima philosophia, et partim poc determinatum [VIII 2, 5.] est in octavo Physicorum. De omnibus hiis certum est, quod a quodam moventur immobili secundum illum modum motus, quo [V 1, 1 sq.] movent, sicut diximus in quinto Physicorum: quia aliter iretur in infinitum: Sed non moventur a quodam immobili secundum locum firmato, quod est quaedam pars eius, quod movetur, sicut cubitus pars est brachii, in quo immobili movetur asseyd sive harundo brachii.

Tractatus secundus, qui est de principiis moventibus in motu processivo.

c. I. Quot et quae sint moventia in motu appetitivo et quod sit primum et quae media et quod ultimum.

[ζ κ 6 p. 700 b 4.] Restat igitur nunc quaerere, quomodo anima localiter movet corpus motu voluntario, et quod est principium huius motus: et oportet nos determinare, quot sunt numero moventia et non mota ab invicem: quia si quodlibet moveretur ab alio, impediret unumquodque alterum et non proficeret motus. Omnes autem motus animalium habent finem aliquem. Omnia enim, quae sunt animatorum, sunt propter finem et praecique omnia animalia movent et moventur causa alicuius sive propter aliquid: et hoc est finis motus omnium ipsorum, cuius causa moventur: oportet igitur, quod principia huius motus inquirantur.

7 generatione *in* -ato *corr. m.* 1 10 sunt V *deest* C.

Dicamus igitur, quod videmus animae vires sive potentiae, quae movent animal, sunt intelligentia et fantasia et proh⟨a⟩eresis et voluntas et desiderium: omnia tamen haec ad invicem reducta fiunt pauciora, eo quod quaedam movent nuntium facientes de motu et quaedam sicut eligentes et quaedam sicut facientes impetum: et secundum hoc fantasia et sensus eundem locum *habent* in moventibus cum mente sive intelligentia: unumquodque enim istorum est indicativum et indicatum de eo, ad quod fit motus: differunt autem haec secundum dictas in libro de Anima differentias ad invicem. [III 1: *cf.* lib. de nat. et orig. anim. 1, 7.] Alia autem movent sicut facientia impetum: voluntas enim et ira et desiderium, hoc est concupiscentia, omnia in movendo habent in communi rationem desiderii sive appetitus, qui facit impetum in motu. Proh⟨a⟩eresis autem sive eligentia et ⟨a⟩estimatio sunt communem quandam habentia rationem movendi intelligentiae et appetitus sive desiderii. Non est autem omne intelligibile proh⟨a⟩ereticum, sed solum intelligibile proh⟨a⟩ereticum est, quod est de numero practicorum et est practicorum finis, propter quod fit opus appetitus in acquisitione vel fuga: hoc enim, quod est de numero huiusmodi practicorum bonorum, est movens primum appetitus animalium: non tamen omne bonum finis est semper. Si⟨c⟩ enim omne vere bonum esset causa huius naturae alicuius, quia nichil est vere finis, nisi quod est bonum naturae et causa: et ideo sequitur, si finis est secundum naturam, quod est alicuius existentium causa: omnis enim natura bonum habet, cuius causa est, sicut probatum est in libro primo Ethicorum. [I 2, 7.] Nos autem non semper ab illo, quod est vere finis et bonum, videmus moveri appetitum animalium, sed potius aliquando moventur animalia ab eo, quod est causa alicuius alterius, sicut delectationis secundum sensum vel utilitatis aut alicuius talis, quae non sunt fines secundum naturam. Propter quod in moventibus oportet ponere, quod visibile sive sensibile bonum, quod est bonum ut nunc, habeat in movendo locum boni. Delectabile autem secundum sensum est visibile bonum, quod vocamus bonum ut nunc. Et in hoc recte dixit Plato in Democraticis, quod omnis delectatio generatio est in [Aristot. Hη 12 p. 1152 b 13 ex Philebo 32 B.] sensibilem animam: et ideo manifestum est, quod in bono ut nunc est eadem ratio communis movendi, quae est in bono simpliciter:

1 *post* potentiae *addidit et del.* al' *m.* 2 2 *post* animal *del.* esse *m.* 1 6 habent *in marg. addidit m.* 2 20 enim ōō *vel* ōēC. ōēV.

simile enim quid est, sicut quando moventur animalia, quae movet appetitus motus ab huius modi bono, quod similem habet movendi rationem. Omnia enim haec movent appetitum in ratione convenientis in communi: ab hoc enim omne animal semper movetur *in communi* et singulum animalium non movetur, nisi per idem conveniens simpliciter aut ut nunc.

Licet autem in communi appetitus animalium sic moveatur a bono conveniente in communi sumpto, tamen est aliter movens bonum simpliciter et aliter bonum ut nunc in speciali ratione: bonum enim simpliciter semper movet et motus animalium habet finem, qui vere finis est, bonum ⟨a⟩eternum et verax et primum bonum. ⟨A⟩eternum autem dico, quod incommutabiliter bonum est secundum naturam natura manente. Verax autem, quod veritati naturae proportionatur secundum differentiam constituentem speciem, quod non convenit ex genere aut ⟨a⟩egritudine, secundum quod est proprium et connaturale speciei. Primum autem voco proximum, quod ipsi naturae est convertibile. Omnis enim natura habet tale sibi proprium bonum,
I 2. ut probatum est in Ethicis: et hoc non est aliquando bonum et alicubi bonum, et aliquando et alicubi non bonum: sed semper et ubique est secundum naturam bonum: et ideo hoc bonum omnibus aliis hic et nunc bonis est divinius et honorabilius: et ideo oportet hoc bonum esse primum bonum, quod in propria ratione manet, ita quod ante ipsum non est aliud bonum, in cuius ratione moveat: et omnia, quaecumque alia bona movent, movebunt per analogyam ad ipsum: et tale bonum aliquod quaelibet habet natura et praecipue animatorum: et quia sic primum movens est illud, omne autem primum movens movet immobile, oportet, quod istud bonum moveat, cum sit immobile. Visus autem et desiderabile sive desiderium movens se movet: et dico
343 v°. movens se per formam boni primi moventis: et hoc modo primum movens intra animal est compositum ex forma primi moventis et potentia animae movente: et sic primum movens est duplex, simplex et compositum
VIII 2, 9. sicut in celo, sicut determinatum est a nobis in octavo Physicorum, et ideo primum movens compositum movet se: et isto modo dicimus, quod etiam animal movet se, cum sit compositum ex motore et mobili.

Sic igitur primum movens simplex movet non motum: primum autem compositum movet motum a specie primi moventis: ultimum

---

4 in communi *supr. lin. m.* 1   19 *post* aliquando et *del.* 7 alib. *m.* 1.

autem est, in quo perficitur, sive verius dicendo, in quo concluditur motus, ut inferius dicemus: et de illo non est eadem ratio, quae de aliis, quia non est necesse, ut hoc aliquid ulterius moveat, quia illud tantum movetur et non movet ulterius aliquid, quod sit motivum. Est tamen de hoc alia ratio quam de aliis ultimo motis. In physicis *vero* aut artificialibus ultimum motum sic movetur, quod tantum patitur: hic autem ultimo motum est, quod non ulterius aliquod movet organum, sed ipsum per se exequitur appetitus opus vel actum, sicut dicimus virtutes, quae membris affixae sunt, ultimo esse motas et moventes, quod non est aliquid post eas, quod organice pars animalis existens moveat.

Manifestum autem est ex hiis, quia motus ab appetitu perfec- p. 701 a 2.
tus, in quem impetum facit animal, secundum inductam rationem est ultimus in ordine eorum, quae sic fiunt a moventibus potentiis. In talibus enim factis movetur et ambulat animal ad appetitum desiderans secundum sensualitatem aut eligens secundum rationem, dum alteratur passione facta secundum sensum aut secundum fantasiam ab appetibili bono. Hoc igitur modo perficitur motus in animalibus, quae moventur.

c. II. Et est digressio declarans, quot et quae principia et qualiter sint motus processivi, ut melius declarentur praeinducta.

Nos autem, ut ea, quae dicta sunt, magis intelligibilia fiant, digressionem faciendo dicimus, quod ad omnem motum tria secundum rationem exiguntur in genere moventia composita praeter movens simplex et praeter id, quod ultimo movetur. Si enim debeat fieri motus, oportet quiddam esse ex iudicio decernens et electionem et motum debere fieri: et oportet esse electionem motus: et tertio oportet esse appetitum completum ad opus. Non enim fit motus nisi ad bonum simpliciter vel ut nunc. Non igitur fiet umquam motus, nisi sit iudicatum de bono simpliciter vel ut nunc et sic decretum motum debere fieri. Facto autem decreto non necessario fit motus, quia forte non eligit, quod ex iudicio decretum est. In hoc enim anima differt a natura, quia natura secundum formam, qua informata est, necessario movetur, ut calido informatum necessario

---

1 *post* autem *del.* ē ī q̊ concluditur mobile non *m.* 1   6 vero *sup. lin. add. m.* 2.

calefacit, et gravitate informatum ex necessitate descendit: sed anima etiam postquam concepit formam boni simpliter vel ut nunc, non necessario eligit eam, sed libertatem habet secundum quod voluerit eligendi, propter quod ad motum exigitur electio post iudicium, et iudicium quidem fieri potest praeter electionem. Electio autem numquam fit praeter conceptum et iudicatum de bono simpliciter velut nunc. Electio enim est duobus propositis unum alteri praeoptare. Iudicium autem hoc, de quo loquimur, est per modum arbitrii potius quam per modum probationum et sententiae: quia anima cognitiva in talibus potius arbitrium proprium sequitur quam naturam rei, de qua iudicat: sciens enim et prudens aliquando arbitratur de faciendo contrario modo, quam secundum rem esset arbitrandum, si rationem rei sequeretur. Similiter etiam, quando eligit, potius ad libertatem et arbitrium proprium eligit, quam attendat eligibilis naturam et rationem. Videmus enim scientes et prudentes eligere aut non eligenda aut minus eligenda secundum naturam rei et rationem. Hiis autem duobus sic perfectis consequitur plenus et completus appetitus sive voluntas de faciendo: et hic appetitus iterum nec rem sequitur nec iudicium nec electionem de necessitate, sed potius libertatem habet etiam electione facta ab electione declinandi et a iudicio, quod praecessit: propter quod saepe consilio habito et electione dicimus vim facere nobis et aliud volumus et operamur, sed tamen nullo iudicio et nulla electione praehabitis numquam erit completa voluntas de faciendis: eo quod sine iudicio non esset nuntium de volito et sine praeoptatione huius prae aliis non in hoc compleretur voluntas. Haec igitur tria sunt moventia composita, quorum quodlibet componitur ex forma boni primo moventis et potentia animae, quae concipit bonum illud; sed iudicans primum non componitur nisi ex forma boni moventis et potentia iudicante.

Similiter autem ultimum volens sive appetens non componitur nisi ex appetente et forma boni, quam appetit: sed medium, quod est eligentia, ex tribus componitur elementis: habet enim formam
344 r°. primi boni moventis et habet aliquid cognitionis: eo quod collatio unius eligibilis ad aliud non fit sine cognitione: et habet aliquid appetitus, per quem unum praeoptat alteri. Haec autem tria moventia sic secundum formam moventis in genere dicta sunt.

---

10 *post* talibus *del.* proprium *m.* 1.

Haec autem secundum substantiam dividuntur rursus in tria: quoniam in rationabilibus intellectus practicus ex iudicio movens est per suam scientiam. Liberum autem arbitrium est habens formam moventis compositam ex iudicio et voluntate: voluntas autem movet secundum rationem appetitus solum. In hiis autem, in quibus est anima sensibilis ut perfectio ultima, movet fantasia per modum iudicii, et est in ipsis ⟨a⟩estimativa, quae habet ⟨a⟩estimare per modum electionis: et est appetitus in ipsis secundum concupiscibilem et irascibilem, qui impetum facit in opera per virtutes, quae sunt in membris. In hiis autem, in quibus sensibilis non est pefectio ultima, sed est in eis secundum esse sensibilis, in hiis fantasia et ⟨a⟩estimativa et appetitus secundum utramque partem sui participant aliquid rationis et suasibilia sunt a ratione et secundum hoc movent. Et de omnibus hiis dictum est in tertio libro de Anima, et iterum III 1–5.
dicturi sumus in scientia Ethicorum monasticorum. Patet igitur, quod secundum subiecta moventia dividendo moventia, quod dividuntur in tres terminos.

Praeter omnia autem haec est movens primum: et hoc est duplex, simpliciter bonum et ut nunc et hic bonum: et hoc est ita movens, quod est immobile. Bonum autem simpliciter tres habet conditiones, quod videlicet est ⟨a⟩eternum et verax et primum: et quia est ⟨a⟩eternum, non quandoque movet et quandoque non, sed semper: et quia est verax, non movet per accidens, sed per seipsum: et quia est primum, movet ita, quod ante ipsum nichil sibi est causa movendi, et ideo est movens immobile. Hoc autem facile est considerare in omni bono cuiuslibet, quod est secundum naturam bonum. Non enim est aliqua natura, quae non habeat formam essentialem se constistuentem: et haec forma esentialem habet aliquam operationem: et haec operatio essentialis finitur ad aliquid, et ideo operatio haec finita ad id, ad quod essentialiter est, est bonum naturae illius, sicut probari habet in decimo Ethicorum, sicut essentialis actus hominis est intel- X 1.
ligere finitum ad intelligibile necessarium et ⟨a⟩eternum: et sic est de omnibus aliis. Ex quo relinquitur, quod habitudo boni ad id, cuius est bonum, est necessaria et incommutabilis: statim enim mox posita natura ponitur habitudo eius ad hoc bonum, et ita ⟨a⟩eternum erit bonum illud secundum modum dictae habitudinis, licet

---

6 fantasia *sup. del.* estimatio *pos. m.* 1   15 non exstat in scriptis editis.

secundum esse non sit forte ⟨a⟩eternum: et quoad hoc habet hanc conditionem, quod dicitur aeternum, eo modo, quo aeternum vocamus incommutabile, non quidem secundum esse semper, sed secundum habitudinem ad id, cuius est bonum. Amplius non est aliud bonum secundum veritatem naturae nisi illud: omnia enim alia bona aut secundum accidens aliquod et in aliquo tempore bona sunt et conferentia in relatione ad verum et naturale bonum: et quoad hoc est verax vocatum et nulla alia movent animal, nisi quae verax bonum aliquo modo assimilant vel conferentia vel conservantia vel amminiculantia: sicut et sanum non dicitur, nisi quod aliquo *modo* se habet ad veram sanitatem ut indicans aut faciens aut conservans aut aliqualiter aliter relatum ad veram sanitatem. Bonum ergo verax simpliciter bonum est secundum naturam: et ut nunc bonum est id, quod per aliquem modum refertur nunc ad ipsum et non movet, nisi in quantum ad verum refertur bonum: et quia non movet nisi per formam propriam, ideo est primum et immobile bonum. Hoc igitur et sub ista ratione est primum movens.

Ultimum autem motum in animalibus est id, quod praecepta omnium prius moventium exequitur et nulli imperat motum, sicut sunt membra ultima motum exequentia ut manus et pedes, quae non ulterius movent aliquid, quod sit pars animalis. In membris enim unum movet alterum, sicut superius diximus, ubi ostendimus, quod motus talis semper est ab immobili aliquo: sed ultimum licet forte moveat aliquid extra animal sicut baculum vel aliquid huiusmodi, tamen dicitur ultimum motum, eo quod nichil ulterius movet motu animato.

Ex hiis igitur, quae hic diximus, cum hiis, quae in tertio de
III 4. Anima de movente a nobis determinata sunt, facile patet intelligentia eorum, quae supra dicta sunt: omnia autem haec hic inducimus, ut primam animae sedem in corpore inveniamus: hanc enim non ex sensu neque vegetatione, sed ex ipso motu congruentissime inferius demonstrabimus.

---

10 *post* aliquo addidit *supra* lin. m̊. *m.* 1   11 *Gloss.* Saec. XV. ut indicans *urina* faciens *exercitium* conservans *dieta.*

c. III. Qualiter praeinducta moventia movent per motum sillogizandi sicut in speculativis.

Revertentes igitur ad propositum dicamus, quod si volumus ζκ7 p. 701a 7.
scire modum, secundum quem intellectus practice aliquando quidem intelligit et aliquando non, et aliquando quidem movetur secundum scientiam intellectam practice, aliquando autem non: considerabimus hoc ad similitudinem intelligentis speculative, qui non intelligit aliquid mobilium, hoc est, quod moveat: quia non accipit intelligibile, nisi prout est causa scientiae et speculationis, et non prout est causa electionis et motus sive operis: Sicut enim speculativus intelligens sillogizat, sic et practicus. Sed differentia est in hoc, quod in speculativo sillogismo finis est visus secundum intellectum hoc est 344 v⁰.
scientia conclusionis, quae est effectus sillogismi: quando enim speculativus intellectus duos primo intellectus principiorum intelligit esse secundum ordinem trium terminorum, tunc habitudinem hanc intellexit et concludendo adiunxit conclusionem et illam intellexit. In practicis autem similiter a duobus principiis, quae sunt primitus in iudicio et electione accepta, per modum conclusionis fit opus, quod est finis practicorum. Quemadmodum gratia exempli dicamus, quando aliquis sicut universaliter iudicans intelligendo dicit, quoniam ambulandum est omni homini, et quod ipse est homo, statim secundum praesens nunc ambulat: et si iudicans intelligit, quoniam nulli homini gradiendum est, ipse autem homo, statim stat et non graditur: et haec ambo sic ex sillogismo operatur, nisi aliquid prohibeat aut vim faciat. Si enim intelligit, quoniam domus est bonum et utile sibi, statim facit domum, si praeconcipit, quod tecto indiget. Similiter cum tunica sit amictus, tunicam faciet tunica indigens. Faciendum ergo esse tunicam est actus sillogizatus a principio, si tunica est necessario: et hoc ponit primum principio dicens, quod necessaria sunt praeparanda: tunica autem necessaria: igitur tunica, praeperanda. Si autem ad tunicam hoc aliquid aliud est necessarium, statim etiam illud operatur. Et sic oportet, quod in omnibus procedit quasi ex sillogismo, cuius conclusio est opus: et quia opus est extremus finis, patet, quod conclusio est extremum et finis practicorum.

---

26 *post* sibi *del.* ipse *m.* 1   29 *post* primum *parvulum* per *supra lin. pos. m.* 2.

Cum autem facimus propositiones sive principia practicorum syllogismorum, non accipimus neque facimus eas, nisi secundum duos modos, scilicet quod sint de bono et possibili nobis: quia enim finis est opus, oportet, quod sit de possibilibus per nos fieri: et quia finis est desiderii, oportet quod sit de bono: et has duas species oportet considerare in omni propositione practicorum. Altera enim proposito, quae secunda est et assumptio vocatur, manifestat semper operabile, quemadmodum aliquis desiderantium manifestat quiddam desideratum: mens enim se figens nichil omnino providet, sed simplex verum contemplatur: et ideo oportet mentem non figi, sed extendi ad desideratum: sic enim providet de operabili: aliter etiam mens fixa non providet, quoniam si figitur multum per desiderium rei operabilis, non providet diiudicando et conferendo, utrum operabile vel non: sed statim prolabitur in opus, sicut si dicerem, quod fixa mens desiderio ambulationis non providet collationem, quod ambulandum homini, et quod ipse homo: non enim perseverat in tali collatione: et ideo contingit, quando non consideramus conferentes, cito operamur absque collatione, statim ut tangit sensum id, cuius causa fit opus: quod superius diximus esse primum movens, aut ut tangit fantasiam aut mentem: desiderat statim et figitur et ideo statim agit: et tunc actio sive opus fit loco interrogationis aut intelligentiae aut desiderii: et dico interrogationem opus, quod est sicut quaestio et interrogatio ante sillogismum, eo quod de ipso conferendum est, utrum agendum sit aut *non*. Intelligentiam autem voco iudicium de faciendo vel non faciendo, desiderium autem imperium de faciendo vel non faciendo: haec enim omnia mens ad delectabile fixa negligit et statim ad primum tactum delectabilis operatur. Sicut si dicatur in potu modo esse desiderium, quem potum aut sensus aut fantasia aut mens dixit vel nuntiavit, statim bibo sine collatione. Eodem autem modo et in animalibus in ambulando et agendo fit motus. Fit autem motus de extrema causa movendi, quae est impetum faciens, per hoc, quod desiderium completum fit secundum illam. Desideria autem fiunt per desiderabile nuntiatum aut per sensum aut per fantasiam in brutis animalibus.'

8 aliquid *in* aliquis *corr. m.* 1   24 *post* aut *sup. lin.* non *m.* 1
26 *post* enim *del. op m.* 1   31 *post* agendo *del.* uli *m.* 1.

Similiter autem intelligentiae practicae explentur a desiderantibus agere aut per desiderium, hoc est per concupiscentiam aut per iram. Alia vero, quae cum ratione sunt, agunt per desiderium et p. 701 b 1.
voluntatem: et alia quidem faciunt cum iudicio ⟨a⟩estimationis aut intelligentiae: alia vero exercent actiones, quemadmodum ea, quae subito moventur parvo motu facto solutis obliquitatibus iuncturarum, quae sunt in membris, et flectentibus se ad invicem ligamentis membrorum moventium et motorum per modum, quem supra diximus. Hoc enim fit sicut currus, qui fertur localiter, dum seipsum hoc modo movet, quod pars immobilis percutit et trahit eam, quae revolvitur circa eam, quando meguar sive axis rectus tractus rursus trahit rotam, quae circulariter movetur, et rota ipsa circumfertur in hoc, quod habet rotas impares, unam in alia: modiolus enim, qui loco centri est, percutitur a meguar ipso et modiolus revolvitur et per radios sicut per cordas et ossa movet circumferentiam maiorem, quae est in cant⟨h⟩orum circumpositione: equi autem trahentes sunt sicut anima: et sic minor rota, quae est modiolus, fit vice centri, quemadmodum etiam in chelyndris videmus fieri. Et per hunc modum moventur animalia: habent enim membra pro huiusmodi, qualia in curru sunt, instrumentis: et habent nervorum et ossium naturam loco eorum, quae in curru sunt. Quod enim in animalibus sunt nervi et ossa, hoc in curribus et huiusmodi instrumentis sunt ligna et ferrum: et loco compaginatorum meguar et rotarum in curribus in animalibus sunt nervi et obliquitates solutorum et lentorum.

c. IV. Qualiter species practicae agunt in potentia rerum calore et frigore extendentes et contrahentes membra.

In hoc tamen differentia est, quod in subitis, hoc est vehiculis et curribus, non est alteratio aliqua partium: quoniam si esset in eis alteratio, oporteret, quod aliquando minores fierent rotae interius, quando contraherentur, et quod rursum fierent maiores, quando extenderentur, quamvis semper in eodem circulo secundum substantiam moverentur. In naturali vero ‖ motu animalium possibile est 345 r⁰.

1 *post* autem *del.* fiunt *m.* 1   7 flectentibus *in marg. m.* 1 *pro deleto* flēctibus   11 meguar *ab arabico* mihvar (Schühlein-Freising)   16 cōtorum C, *m.* 2 *mutavit* o *in* a. tantorum V   18 (?) chelindra, chelindrus = chelandium *χελάνδιον byzant.* navigii species Du Cange, *an* cylindris (?)   27 *post* subitis *del.* hoc vertigine *m.* 1.

idem maius et minus fieri et figuras possibile est permutare. Caliditas enim relaxat partes et augmentat, quae venit ad membrum movens cum spiritu et sanguine. Frigiditas autem, quae inducitur ex subtractione spiritus et sanguinis, constringit et diminuit, sicut patet in hiis, quae per frigiditatem alterantur: hoc enim modo accidentia animae alterant et spiritum et sanguinem: fantasiae enim alterant spiritum et similiter sensus et intelligentiae practicae: sensus enim statim ex primo motu sensibilis sunt quaedam alterationes existentes, quod et sensibilia passionem inferunt sensui. Fantasia vero et intelligentia in practicis habent potentiam et virtutem rerum, eo quod in practicis ad res referuntur: et quoad hoc species intellecta gratia voluptatis potentiam habet calidi et per effectum est calida, eo quod in membra delectantia protendit spiritum et sanguinem, quorum utrumque est calidum. Econtra autem species formidabilis et tristabilis dicitur frigida, eo quod per fugam spiritus et sanguinis ad cor membra destituta frigescunt et fiunt hoc modo species practicae intellectu acceptae per hoc, quod ad res referuntur, quemadmodum singulae rerum sunt, quarum sunt species: et ideo aliquando trepidant et retinent solum intelligentes absque aliquo terrore, qui sit in rebus.

Haec igitur omnia passiones sunt et alterationes alteratis in corpore nervis a speciebus intellectis vel ymaginatis secundum calidum et frigidum: et ideo in corpore animalium haec quidem membra fiunt maiora laxata per calorem spiritus et sanguinis: haec autem fiunt minora constricta per oppositum frigus. Haec autem permutatio latet et non est palam et manifesta: eo quod parva permutatione facta in spiritu et sanguine magnas et multas permutationes et de longe per membra factas differentia parva *facit*, quae fit in spiritu et sanguine, sicut diximus, quemadmodum [t]hemone sive gubernaculo parum permutato in puppi subito multa valde fit permutatio prorae. Multo autem amplius multam valde facit totius corporis permutationem secundum calorem aut frigus aut secundum aliam passionem aliquam ex speciebus conceptis factam, quando fit permutatio circa cor: in hoc enim permutatio facta in centro cordis, quod quidem secundum magnitudinem forte est pars insensibilis,

9 quod *mutavit in* quia *et delev.* et *m.* 2   11 quo quoad   28 facit *supra lin. m.* 1.

multam facit totius carnis per totum corpus differentiam in rubore et pallore et trepidatione et tremore et aliis huiusmodi accidentibus: et in contrariis horum accidentium facit multam per contrarium differentiam: omnes enim istae passiones ad centrum cordis referuntur, sicut in sequentibus ostendemus.

Horum autem omnium principium motivum est, quod diximus, ζ κ 8, p. 701 b 33. motus videlicet eius apprehensi sensu vel fantasia vel intellectu, quod in exercitio practicorum est sequendum vel fugiendum. Ex necessitate enim horum intelligentiae et fantasiae consequitur caliditas et frigidatas, sicut diximus. Dico autem, quod hoc sequitur, quod est solum fantasiae et solum intelligentiae praeter res ipsas, quando conceptus ad res referuntur. Est enim tristabile quidem fugiendum et delectabile persequendum. Sed tamen accidentia sequentia per calorem et frigus latent, quando persecutio et fuga circa parva contingunt: cum tamen tristabilia et delectabilia omnia fere sint cum frigiditate et caliditate: et dico fere propter delectationes contemplativorum theorematum, quae contrarium non habent et cum caliditate non sunt, sicut determinari debet in ultima parte Ethicae monasticae.

Quod autem fere omnia sint cum frigiditate et caliditate quadam, manifestum est ex passionibus sequentibus ista. Audacia enim p. 702 a 1. et timores et coitus et alia corporalia sive passiones corporales delectantes et contristantes sunt in parte cum caliditate et frigiditate in quadam corporis parte: in parte etiam in toto corpore caliditatem et frigiditatem inducunt sicut coitus et ira. Memoriae autem et spes, quae utuntur calefacientibus et infrigidantibus, tamquam ex ydolis moventibus, quae movent secundum virtutem rerum quandoque minus et remissius et quandoque plus et intensius, sunt causae huiusmodi calefactionum et infrigidationum: Rationabiliter enim causantur intrinseci motus, qui permutant organicas partes corporis circa principium ipsarum, quod est cor et spiritualia, quando permutatio fit in eis a congelatis ad humida calore resoluta et ab humidis calidis spiritibus et sanguine ad congelata frigida et constricta: et similiter membra intrinseca fiunt mollia et dura ab in vicem hiis contingentibus circa principium in corde. Multo autem amplius contingunt huiusmodi passiones in hiis, qui passivi sunt et habent complexionem valde ab huiusmodi passibilem, sicut multotiens in aliis

12 fugendum C   37 *ante* ualde *del.* ualde *m.* 1.

cf. Physic. VII 1, 5, Meteor. IV 1 *al.* libris diximus. Facile enim contingit in huiusmodi passio, quando hoc quidem est agens, sicut fantasma aut intellectum, hoc autem facile patiens et non deficit utrumque istorum ab actione et passione, sicut in melancolicis, qui et fortia habent fantasmata et facile patiuntur ab eis: tunc enim in ratione moventis hoc quidem facit, aliud vero in ratione passivi patitur: per hoc enim sicut gratia exempli possumus dicere, si intelligit ambulandum, statim simul concipiens hoc ambulat, si non impediat aliquid aliud.

Patet igitur, quod passiones studiosae et bonae ordinant organicas partes ad motus ordinatos: desiderium autem movet passiones,|| 345 v⁰. fantasiae vero movent et causant desideria ex parte animae sensibilis. Aliquando enim fit huiusmodi motus desiderii aut per intelligentiam aut per sensum: quasi simul autem et citissime sive velocissime fiunt haec per hoc, quod natura facile faciens et passibilis est ab hiis, quae dicta sunt secundum ordinem ab invicem.

c. V. De probatione, quod anima est in primo principio movente, quod non est extremitas alterius mota ab alio quodam movente.

p. 702 a 21. Movens autem animal, quod sicut virtus motiva movet, aut sicut movens compositum ex motore et mobili, necesse *est* esse in quodam membro, quod est principium motus effectivum. Iunctura autem laxa, in qua est inflexio membri moti, est quoddam principium, in quo et a quo est motus eius, quod movetur ultimum, et alterius membri moti principium, si non est ultimum, motum est in alio membro ultra illud, quod dictum est: sicut si dicamus, quod movens manum est in musculis iuncturae manus ad asseyd: et si asseyd movetur, movens ipsum est in iunctura cubiti, quae est ultra ascendendo in brachio post iuncturam manus ad asseyd: propter quod iunctura ipsa est ut una et est, quod aliquando utitur ea natura ut duobus, quemadmodum in praecedentibus dictum est. Quando enim movetur membrum, tunc necessarium est, quod hinc a moto superius stet signum centrale, quod de numero est ultimorum, quia semper ultimum descendendo a corde, quod primo movet: quod, inquam, ultimum proximum est membro, quod movetur, oportet stare immobile, a quo moveatur id, quod movetur ultimo motum: et hoc est tamquam signum et punctum centri, circa quod et in quo girat membrum,

1 passio qñ qn̄ (*del.*) hoc C. 19 est *sup. lin. m.* 1.

quod movetur: et cum hoc necesse est stare, tunc necesse est aliud moveri, quod sic in iunctura coniunctum est. Nos enim iam ante probavimus, quod omne, quod movetur, oportet firmari in aliquo stabili et fixo. Gratia autem exempli dicamus, quod movetur quidem et non movet ultima sive inferior pars brachii, quam vocamus asseyd sive harundinem. Id autem, quod est in flexione sive iunctura cubiti de virtute in nervis et musculis, hoc movet: aliud vero motum, quod in eodem brachio toto movet se, necesse est quiddam immobile movens habere: et hoc, quod primum esse immobile aut quod nichil immobile est, dicimus esse signum potentia et virtute movendi eo, quod ab ipso sicut a centro omnes egrediuntur motus eorum, quae moventur: et hoc quidem in brachio est, a quo movetur totum brachium: et haec est iunctura, quae est in armo, et accidit hoc fieri duo: est enim ultimum movens et principium eius, quod movetur in ipso: et ideo, si brachium esset animal per se separatum existens, pro certo abhinc, ubi primum movens est et ubi est principium motus eius, quod movetur, ibi esset prima sedes animae motivae: et ex illo moveret omnia alia sibi colligata et coniuncta.

Non enim potest dici, quod anima sicut principium motus sit in ultimo, quod movetur: contingit enim aliquando virgam manu tentam moveri et scimus, quoniam non in virga est anima. Igitur ratio essendi animam in aliquo sicut in principio movendi, non est, quod sit in ultimo moto: et ideo non est ut movens in eo, quod movetur ultimo, nec in principio eius, quod movetur, sed potius in principio movente, aut quod non movet aliud aliquid in ordine moventium. Lignum enim sive virga mota habet principium et finem in manu, a qua movetur: una enim extremitas sive finis eius est in manu et illa mota movetur totum: eo quod una parte continui mota movetur totum continuum et ideo, si non est in virga movens principium, quod est ab anima, propter hoc, quod est mota virga, eadem ratione etiam non est in manu, quae mota est a brachio: non enim differt per hoc, quod utrumque est motum ab alio. Id autem, quod est compositum ex primo movente et mobili, sicut probavimus in octavo Physicorum, movetur a seipso: et ideo ratio eius quaedam VIII 2, 5. esse animam ut primum principium motus esse in aliquo est, quod non moveatur ab aliquo alio, sed quod moveatur a seipso: et quando

34 *super* quaedam *posuit* est *m.* 2 *deest* V.

movetur ab alio quodam immobili, sive sit coniunctum sicut pars animalis sive sit separatum sicut virga, sequetur per unam et eandem rationem non esse animam in ipso sicut in principio movente. p. 702 b 3. Similiter enim se habet quoad inducta et manus ad yr, hoc est ad brachium: et haec pars, quae yr sive brachium vocatur, ad cubitum: utriusque enim motus est ab alterutro dictorum sicut ab immobili proximo non tamen primo: et utrumque istorum prope simile est virgae motae: et quia sic prope similiter se habent quoad hoc, quod dictum est, non differunt: fit enim in comparatione virga tamquam ablata sive abscisa pars, quae est manus vel brachium vel aliud, quod est ab alio immobili motum. In nullo ergo principio erit anima, quod est extremitas cuiusdam alterius moventis et moti, sicut 346 r⁰. cubitus extremitas adiutorii ‖ movens inferiorem partem brachii, quae asseyd vocatur. Similiter autem anima non inest ei, quod movetur, si est extrinsecum, quod non est pars animalis, quod a se movetur, quemadmodum diximus, quod principium ultimi virgae in manu est sicut motum a manu: est enim principium primum motus manus et virgae superius amplius, sicut ante ostendimus: et ideo non hic in altero istorum est principium motus. Quod autem sit in neutro horum, sed amplius superius, patet per hoc, quod cubito stante totum, quod de brachio inferius est continuum existens, movetur: et sic principium motus manus et brachii est in alio: quae autem moventur sicut ab anima, non habent principium sui motus in alio, sed in seipsis: et per hunc modum fit resolutio omnium eorum, quae moventur, quousque stetur in movente primo, quod a seipso movetur.

c. VI. Quod primum movens, in quo est anima, medium est trium dyametrorum, longitudinis et latitudinis et profunditatis, et per hoc est principium omnium motuum.

ζκ 9 p. 702 b 12. Quoniam autem in huiusmodi principio motus similiter se habent dextrum et sinistrum, hinc patebit: haec enim licet sint contraria, simul moventur: et ideo neutrum est principium motus ad alterum, eo quod principium movens stat et firmat in se hoc, quod movetur: igitur non contingit stare dextrum ad hoc, quod moveatur sinistrum, nec e contra contingit stare sinistrum ad hoc, quod mo-

4 yr (hyr *edit.*) iure *corruptum esse putat* Schühlein-Freising *ex arabico* dirâʿ „pars brachii ab extremo cubito usque ad extremitatem digiti medii“
23 *post* sicut *del.* ab al *m.* 1.

veatur dextrum: oportet igitur, quod principium motus sit in superiore amborum. Dico autem in superiore non loco, sed resolutione. Oportet igitur, *quod* in medio omnium motorum sit principium primum animae moventis: sicut enim in quinto Physicorum diximus, medium est extremum amborum extremorum, quando operatur ad ipsa: V 1, 1. et sic medium est sinistrum ad dextrum et dextrum ad sinistrum, et est superius ad inferius et inferius ad superius, et est ante ad id, quod est retro, et retro ad id quod est ante: et sic principiat omnem motum localem quidem in dextro et sinistro: naturalem autem, qui est nutrimenti et augmenti, in superiori et inferiori et alterationem sensus et sensibilium in eo, quod est ante et retro: similiter enim se habet ad motus, qui sunt supra et infra et in aliis differentiis situs corporis: motus autem supra sunt, sicut qui sunt a capite et humeris, et similiter est de aliis differentiis situs. Rationabiliter autem hoc contingit esse principium universaliter primum: hoc enim dicimus esse primum sensibile: sicut enim ostendimus in libro de Sensu et Sensato, cor est primum organum tactus, ad quod etiam omnium aliorum sensuum sensibilitas refertur, et sic est uni- I 1, 15. versaliter sensibile primum: et ideo, quando per sensum alteratur in delectando vel tristando, sicut alteratione facta circa hoc, quod est principium omnium aliorum, erit permutans, quaecumque sub ipso sibi connexa continentur: et sic simul mutantur omnes partes animatae extensae calore et spiritu et congregatae sive contractae per frigus: et ideo ex necessitate demonstrationis contingit hinc fieri motum in animalibus, quem dicimus esse voluntarium motum: et eadem necessitate sequitur ipsum esse primam animae sedem et ipsum esse primum, quod movet seipsum in animali, et a quo omnia alia moventur. Media autem haec pars potentia quidem et substantia est unum solum, sed actione et operatione, quando comparatur ad membra, efficitur plurima vivificando, movendo et sensificando et vegetando cibo et augmento: eo quod simul cum principio isto moventur ossa ab ipso, quae sunt sustentantia membrorum aliorum: et illis motis necesse est et membra moveri; et in iuncturis ossium, quodcumque stabit superius, alterum firmatum in illo movetur inferius.

Huius autem exemplum est in figura. Ducantur enim ad A medium lineae B A et C A et sit A sicut signum, in quo est con- p. 702 b 28.

3 quod *sup. lin. m.* 1.

iunctio duorum ossium, quae sunt A C et A B: secundum hunc enim modum dispositis ossibus tunc B movetur et A movet: sed verum est, sicut ex praedictis patet, quod aliquid in tali motu oportet esse stabile, si debet hoc quidem moveri et aliud movere: et hoc stabile est A: igitur erit unum potentia tam A B quam A C continuum et colligatum, actione autem moventis et moti erunt duo. Igitur totum A B et A C necesse est non punctum, sed magnitudinem divisibilem esse.

Amplius contingit aliquando C et A simul moveri, sicut movetur totum brachium ex adiutorio in asseyd compositum, secundum quod totum brachium est unum continuum colligatum: oportebit ergo ambo principia duorum ossium, quae mobilia sunt in A, in quo colligantur, esse unum aliquid in tali motu: et tunc sic movendo oportet esse aliud movens non mobile, sed firmatum movere, quod est, sicut si diceremus esse in armo, a quo totum movetur brachium. Diximus autem, quod extrema et principia ossium ad invicem firmantur et colligantur in A movendo se invicem, sicut si gratia exempli dicamus, quod aliqui firmantes spondiles dorsi et ancharum, quae a tergo sunt, moveant crura et coxas, quae colligantur in anchis: oportet autem in omnibus talibus, quod unum aliquid sit primum movens ambo haec. hoc autem erit anima, quae aliud quidem
346 v°. est ab huiusmodi magnitudine mota et existens intrinsecus || in medio trium dyametrorum longitudinis videlicet et latitudinis et profunditatis, quae sunt dyametri corporis: sic enim erit principium motus crementi et localis et pulsualis et sensibilis: et isti sunt omnes motus, quos facit anima in corpore et propter quos anima coniungitur
ζ κ10, p.703 a 4. corpori. Secundum igitur rationem demonstrativam, quae dicit causam propter quid motus illius, qui vocatur motus desiderii sive voluntatis, medium, quod movet ea, quae mota sunt, oportet, quod sit causa motus universaliter in toto corpore: et hoc quidem movens omnino immobile est anima, sicut primo primum movens in mundo est movens indivisibile et immobile. Sicut autem in mundo oportet aliquod primum corpus esse, quod primum moveatur ab immobili primo, ita quod ex immobili movente et primo mobili conficiatur unum primum compositum, quod movet seipsum et movetur a seipso: ita in corporibus, quae animata sunt anima movente, oportet aliquod corpus primum tale esse, a quo influatur omnibus aliis membris motus et ipsum primum corpus moveat seipsum. In tali enim connexione corpus, quod quidem est mobile a quodam alio primo et non est innatum movere primo, sed moveri, potest pati secundum alienam passionem ab eo, quod est corpus primo movens, sicut omnes partes membrorum patiuntur alterationes cordis et omnes celi inferiores recipiunt influentiam ab eo, quod est primum mobile: et sic solutis et constrictis nervis et ligaturis per totum corpus motus perficitur animae, quae ut motor iungitur corpori: hoc autem cor in corda habentibus aut membrum analogum cordi in hiis, quae corda non habent: et ex hac demonstratione certissime scitur, qualiter anima iungitur corpori, et quod sicut motor omnium motu animati iungitur ei et non sicut perfectio vel actus materiae tantum, et quod propter hoc diffinitur, quod est enthelechya corporis organici secundum potentias vitae, sicut in libro de Anima determinavimus. II 1, 1 sq.

4 *post* igitur *del.* ā *m.* 1   17 ancha = anca, coxendix *Du Cange.*

c. VII. De virtute cordis, per quam movet, et de natura spiritus, qui cordis est instrumentum.

Movens autem omne necesse est habere aliquam fortitudinem p. 703 a 8. et virtutem, qua vincat et excellat mobile, et non extrudatur ab ipso extra locum et naturam suae firmitatis et immobilitatis: propter quod etiam fabula de Athlante celum movente a Phythagoricis inducta est: et ideo necesse est cor esse confirmatum loco immobili super basim suam et ligatum nervis et villis transversalibus et longitudinalibus, quemadmodum diximus in scientia de cordis natura et de animal. I 3,4. XIII 1,4. anathomia. Insuper etiam cum virtute sua cor moveat, oportet illius virtutis habere vehiculum, quod est spiritus: et ideo necesse est spiritum et in corde generari et a corde procedere: omnia enim animalia expresse etiam ad sensum videntur habere spiritum connaturalem sibi et potentia et virtuosa sunt per ipsum. Quae autem sit salus et generatio connaturalis spiritus, dictum est a nobis in aliis nostris libris naturalibus et praecipue in libro de natura Spiritus et de somno et vigil. I 2, 3. I 2, 2. Respirationis. Spiritus autem videtur in movendo et causando motum aliquid simile habere cum primo animali sive animativo principio: et hoc ideo est, quia sicut saepe probavimus, est instrumentum animae et vitae et vehit virtutem ipsius et movet in forma

13 endelechia V   20 *post* inducta est *del.* et iterum necesse *m.* 1 23 *ante* diximus *del.* supra *m.* 2 *cf. praef.*

vitae et animae sicut et calor naturalis: et ideo est vitae opera per- ? Aristot. ψα 2, p.405 a 25. ficiens sicut anima: et ideo etiam (H)eraclitus ipsum animam esse dixit: habet igitur simile aliquid ad primum animativum, sicut etiam centrum sive signum, quod est in flexionibus iuncturarum, habet simile aliquid ad primum motorem, qui est cor, in hoc, quod movet immobile permanens et virtute sua movet inferius coniunctum ei non extrusum ab eo extra firmitatem et immobilitatem ipsius, sicut enim etiam spiritus in forma movet primi moventis. Quoniam autem principium huiusmodi animativi motus quibusdam quidem est in corde, quibusdam autem in membro, quod est cordi analogum, eo quod corda non habent, per idem membrum, quod sic est principium etiam, spiritus ortus ab ipso efficitur eis complantatus et connaturalis et per illud videtur eis existens esse in natura ipsorum.

p. 703 a 16. Utrum autem idem numero sit spiritus in tota vita animalis aut fit sive generatur semper alius et alius aut etiam omnino fit sive generatur, alia ratio est et alius locus disputationis: quoniam de spir. et resp. I 1, 9. I 2. nos ostendimus alibi, quod generatur a corde alius et alius et ideo movetur secundum dyastolen et systolen continue cor in animalibus. de mot. anim. I 2, 2 sq. Eadem autem est ratio et de aliis partibus moventibus quoad hoc, quae est de spiritu, quoniam omnia alia movent in virtute et forma cordis sicut et spiritus. Cum autem spiritus bene fuerit naturalis et bene complexionatus, tunc bene admovet sive advehit virtutem cordis in membra et dat bonam fortitudinem ad opera et motus, impulsus, spiritus et retractus per dyastolen et systolen cordis: impulsus enim advehit virtutem, retractus autem restaurat et recuperat spiritus substantiam hauriendo a corde continue: ex hiis enim duobus motibus spiritus quodlibet motus instrumentum augeri potest, quando impletur spiritu et sanguine, et corripi sive diminui, quando retrahitur ab eo spiritus: huiusmodi enim est natura spiritus, eo quod sine violentia magna corpus huiusmodi spirituale et spiritus existens facile corripitur retractum et visa quaelibet modica violentia impellunt ipsum propter huiusmodi causam spiritualitatis et tenuitatis 347 r⁰. subtilis substantiae ipsius ‖ spiritus et est talis naturae, quod habet pondus gravitatis ad ignita levia: et e contrario habet levitatem ad hiis contraria gravia, quae sunt terrestria gravia. Et huius causa est, quia ipse spiritus consistit ex quatuor elementis sicut humidum,

2 *ante* eraclitus *del.* Heraclit *m.* 1.

ex quo vaporat et nascitur: oportet enim, quod id, quod debet in forma cordis informatum movere totum corpus, quod ex gravibus et levibus compositum est, non solum alteratione qualitatis simplicis esse connaturale gravibus et levibus, sed ipsa suae substantiae compositione oportet, quod habeat cum utrisque hanc connaturalitatem: hoc enim est de natura mixtorum, quod tenentur in se invicem secundum superpositionem sui ad invicem. In mixtura leve *quidem* enim tenetur inferius a graviori sibi in potentia superposito: et grave superius a leviori sibi secundum virutem superposito, quando plurimum unius est cum plurimo alterius et minimum unius cum minimo alterius secundum diversam levium et gravium sibi mutuo et ad invicem superpositionem. Dictum igitur sic a nobis, cuius partis sit anima movens primo: et similiter dictum est, cuius est spiritus movens et propter quam causam.

c. VIII. Quod ad similitudinem civitatis ad monarcham habent se membra corporis ad movens primum.

Qualiter autem motus membrorum perficiatur a principio, quod est cor, post hoc oportunum est investigare. Sumendum autem est p. 703 a 30. hoc ex similitudine civitatis vel regni sub monarcha: quoniam sicut civitas in quadam congregatione perficitur officiorum et communicatione, ita corpus organicum, quod est animalis corpus, ex multis constituitur officialibus membris officia sua exercentibus et communicatione, quam habent membra ad invicem sub uno, quod omnibus praesidet et imperat. Accipiamus igitur civitatem optima civilitate habitatam. In tali igitur civitate, postquam semel compositus et institutus est ordo officiorum et officiatorum, oportet, quod numquam fiat aliquid, quod sit extra ordinem singulorum, quae fiunt secundum ordinationem monarchae, etiamsi separetur ab ipsis monarcha; separato enim ipso adhuc singula statuta sibi ad utilitatem reipublicae exercent officia: sed monarcha singula ordinat facere convenientia: et hoc, quod ordinat, fit et mancipatur effectui, et cum hoc fit usus et utilitas communis et publica. In animalibus autem hoc idem fit per naturam in omnium membrorum ad cor relatione. Fit autem per hoc, quod innatum est eis, quod singulum in omnibus sic compositis membris faciat idem opus, ad quod for-

7 quidem *semierasum* 25 *ante* semel *del.* semper *m.* 1.

matum est ex natura et movetur a corde. Formatis enim in generatione membris a corde, spiritus motivus in ea profluit motuum ipsorum, sicut institutis officiatis a monarcha officia iniuncta executur secundum imperium et institutionem ipsius: et ideo bonum totius corporis est in corde, non prout est membrum singulare, sed prout bonum exercitus est in duce exercitus et bonum civitatis vel regni est in monarcha. et hoc modo dux exercitus et monarcha non est persona privata, sed publica: et hoc modo etiam cor in corpore animalis non est privata pars, sed publica.

Propter hoc autem, quod iam dictum est, civitates aedificabantur antiquitus ad similitudinem corporis et praecipue ad similitudinem corporis humani, sicut dicit Tullius. (de invent. 2, 168?) Unus enim in hiis erat monarcha totius multitudinis gerens curam et regimen et institutionem: et erat hic quasi quoddam sapiens et iustum animatum, cuius omnis sermo et praeceptum et institutio fuit sapientia et iustitia: et sicut a luce non est operatio nisi lucere, ita illi non erat possibile agere nisi sapientia et provida et iusta. Deinde circa illum ponebantur iurisconsulti sicut senatores, sicut supra cor ponuntur animales virtutes, fantasia et intellectus, quorum consilio et determinatione cor movetur, sicut monarcha omnia refert ad consilium et diffinitionem sapientum: et sub hiis instituebantur officia, quorum communicatione subsistit civitas, sicut sunt artifices diversarum artium et mercatores aliunde habundantiam diversarum rerum utilium adducentes, quae in civitate non sunt: et sub hiis omnibus impensae publicae et praepositi illarum providebantur. Fiebat autem et conveniens munitio, ne hostibus quibuslibet irrupta destrueretur civitas, sicut et in corpore humano sunt officiati oculi et nares et alia instrumenta sensuum et quasi ferentes copias extrinsecus negotiatores sunt instrumenta motus, per quae acceditur ad delectabilia et a contristantibus receditur: et omnibus hiis ministrantia sumptus sunt vasa pronutritiva sicut epar et stomachus et os et alia, quaecumque ad nutrimentum membra ordinantur. Munitio autem in omnibus sunt circumdatio ossium retro in spondilibus, a latere in costis, et ante in ossibus pectoris et superius in craneo et ossibus capitis, inferius autem confirmatio mollium in coxis et tibiis.

Sic igitur dictum est, quomodo et propter quas causas animalia
347 v°. moventur secundum motus voluntarios. ||

30 ministra//cia C ministrantia V.

c. IX. De causa, propter quam cordis et testiculi motus multotiens est non voluntarius.

Sicut autem animalia moventur secundum motus voluntarios, ζ κ 11, p. 703 b 3.
ita etiam moventur secundum quosdam motus non voluntarios, quorum tamen principium non est natura, sed idem est movens in eis, quod est in voluntariis motibus movens, et hoc est bonum vel malum apprehensum simpliciter vel ut nunc. Secundum plurimos autem horum non voluntariorum motuum duae partes in animali moventur: dicimus enim non voluntarie saepius moveri cor et genitalia secundum illum, qui est a testiculo motum ex spermatis potentia et virtute.

Cum enim aliquid visum fuerit delectabilium vel tristium, multotiens haec duo membra localiter moventur non praecipiente mente motum et forte contrarium praecipiente: et ideo non solum non voluntarie, sed etiam contra voluntatem ista moventur multotiens, sicut praepter voluntatem est somnus et vigilia et quotquot alii huiusmodi sunt motus, qui nec sunt fantasma nec desiderium nec principiati ab aliquo ipsorum, sed a natura calidi vel humidi vel frigidi vel sicci: cum tamen motus cordis et genitalium non sint nisi fantasma vel desiderium vel aliquid huiusmodi.

Horum igitur motuum non voluntariorum determinantes causam dicimus, quoniam animalia, eo quod naturalia habent corpora, necesse est permutari et alterari secundum naturales alterationes, et hoc non subiacet voluntati animalis, quotienscumque alterentur partes in ipsis: illae enim alteratae alterant alias: alteratis autem partibus necesse est quasdam partes augeri quasi tumescendo et dilatando et extendendo se: alias autem necesse est diminui et contrahi: et sic contingit animal ex necessitate moveri et permutari secundum illas partes, quae collimitantur primo alteratis partibus, quotienscumque contingit se invicem tangere alteratas partes secundum proprias permutationes. Dico autem proprias permutationes, quae secundum naturam illis partibus inferunt passiones sicut visibile oculis et soni auribus et sic de aliis, sicut in libris de Anima et Sensu et Sensato II 3. II 1 sq.
determinavimus. Causae enim motuum localium membrorum animalium in se et in partibus sunt caliditates et siccitates extrinsecae et alia, quae sunt naturales motus et permutationes corporum animalium, secundum quod ipsa sunt physica corpora a physicis alteran-

25 *ante* tumescendo *del.* times *m.* 1   27 perm[u]itari C.

tibus permutationem passa: fiunt enim motus dicti, contractiones videlicet et extensiones, a talibus physicis qualitatibus aut concidente cum eis partium, quas diximus, alteratione, sicut alteratis oculis aut alio instrumento sensus alicuius accidit contrahi aut extendi membrum illi collimitatum. Dictum enim est iam prius a nobis, quod intelligentia et fantasia et cetera huiusmodi passionem afferunt sicut facientia et agentia: ferunt autem passionem moventem maxime partibus et eam passionem praecipue, quae est partium animatarum anima motiva: et ab hac praecipue movetur pars, cui a talibus agentibus affertur passio: et hoc manifestum per hoc, quod quaelibet pars est quasi quoddam per se animal, si ponatur esse separata: quia tunc virtus animae, quae est in ipso, erit anima eius. Anima autem animalis per hoc est anima, quod est principium sensus et motus et est principium motus per sensum. Causa igitur motus multiplicis cordis etiam praeter vel contra vel ante voluntatem est, quoniam habet in se humiditatem vitalem, quae facile alteratur: et tunc palam est, propter quam causam non voluntarie saepe movetur; est enim principium sensuum, ad quod referuntur omnes sensuum alterationes, et humidum suum necessario alteratur et de facili sive frigore in timendis sive calore in delectabilibus: et ideo de facili et ex necessitate humidi tales advehentis formas contrahitur aliquando et dilatatur aliquando: et quia humidum huiusmodi et spiritus continue pulsa fluunt in ipso et ab ipso et ad ipsum, ideo fugax est et non supponitur ordini et praecepto voluntatis et mentis, nec potest diu in una teneri dispositione; humidum enim subtile modo a sensu modo a fantasia modo ab intellectu formam induit et advehit: et ideo continue de una transit vel fugatur ad aliam et movetur localiter secundum exigentiam ipsarum.

Genitalia autem, quae moventur a spiritu et humore testiculi sunt pars quaedam, quae est quasi punctum vel signum omnium fere nervorum et venarum tam pulsantium quam quietarum: propter quod etiam a physicis dicitur nervorum et venarum cauda quaedam: et ideo a testiculi parte egreditur quiddam, quod est sicut spermatis motus aut potentia. Spermatis autem motus est cum spiritu spumoso et potentia eius est cum spiritu et vapore extendente genitalia, quae

14 *post* motus *in* V *deletum est*: quam habet in se humiditatem vitalem, quae facile alteratur.

extenssio sine motu locali fieri non potest: et cum sit punctus, ad quem veniunt sensatorum et ymaginatorum et intellectorum desiderabilium alterationes, alteratio facta secundum calidum et frigidum, quae necessario concidit delectabilibus et tristibus, necesse est alterationem ad genitalia redundare propter continuationem nervorum et venarum: et ideo necesse est ea non voluntarie saepe moveri, quotiescumque fuerit in eis vis spermatis, || eo quod sicut in corde est hu- 348 r°.
midum vitale, ita in testiculo est humidum geniturae, quod facile alteratur: et sicut cor est principium sensuum, ita testiculus finis est nervorum sensibilium et venarum et passio universaliter a formis redundat ad ipsum: et ideo delectabili forma motus spirat, quod in ipso est humidum, et extendit movendo praeter voluntatem genitale membrum tam in viro quam in femina. Sed in hoc est differentia, quod vasa seminaria aliquando destituuntur humido et tunc non moventur, sicut in supra posse coeuntibus patet, qui tacti a mulieribus postea non moventur, quamvis multum provocentur: aliquando autem habent humidum congelatum, quod a formis non est mobile, sicut patet in frigidis. Cor autem in tali humido subtili numquam destituitur: et ideo talibus non voluntariis motibus semper movetur.

Sic igitur de causa, quare quaedam membra non voluntarie secundum locum moventur, a nobis dictum est.

c. X. Qualiter motus partium procedit a principio motivo et ad ipsum et qualiter est de parte in partem.

Quia autem diximus in partibus quibusdam istos motus fieri p. 703 b 26.
et a quibusdam sicut ab organis sensuum hos motus incoare, ideo oportet scire, quod motus, qui in principio sunt in quibusdam partibus et a partibus quibusdam rationabiliter a quodam sicut a principio accidunt, eo quod omnis multitudo eorum, quae unius generis sunt, ad unum aliquod principium habet reduci. A principio igitur, quod omnium, quae moventur principium est, venientes sic deinceps ad invicem de parte in partem veniunt. Primo enim oportet movere in motu primum principium totius ordinis moventium et motorum: quia non nisi in virtute primi principii movent alia. De hoc ponemus figuram et ostendemus, quod motus, qui sunt secundum singula

28 *ante* rationabiliter *del.* secundum rationem *m.* 1.

elementa sive literas, quae signa sunt partium motivarum, veniunt ad principium, quod primo movet, et sic veniunt ad alia membra omnia a principio moto prius et permutato. Huius autem causa est, quam diximus quod principium est multae potentiae sive virtutis, vel ut magis proprie loquamur, est multiplex in virtute et potentia, sicut omnis forma multarum efficitur potentiarum per hoc, quod multis instrumentis materialibus attribuitur, sicut una et eadem ars architectonica alterius est virtutis in serra et alterius in securi et alterius in dolabro et sic de ascia et terebro et omnibus aliis instrumentis.


Propter quod, si principium, quod est sicut cor, ponamus in medio esse, quod significetur per A, et dicamus, quod B aliqua pars, quae sit sicut sensuum organa, C autem sit sicut organa motiva, dicemus quidem, quod B sensus sive sensibilis forma est principium B sive motus sensibilis: et id, quod C, quod est forma movens, est principium C. hoc est, motus voluntatis per membrum unum vel plura: ambo autem haec, hoc est sensibilis forma sive sensibilis alteratio et forma motus vel delectationis aut tristitiae alteratio erunt principia amborum dupliciter, scilicet quod aut sensibilis alteratio sit principium sensus, et delectatio aut tristitia sit causa motus aut ad invicem, quod sensus alteratio sit causa motus, et delectatio sit causa sensus vel ymaginationis alicuius. venit enim permutatio aliquando ex B in B, et etiam aliquando non deficit venire ex B in C.

Amplius motus quidem iste ab hiis aliquando a partibus veniet ad A, quod est sicut principium universale in medio loco cordis positum: et tunc veniet a partibus ad A tamquam ad principium: aliquando autem veniet ab A, quod est principium, ad C aut ad B. sicut ad partes motas, sicut dicimus, quod motus aliquando venit a sensuum organis ad cor, aliquando autem moventur localiter sensuum organa a corde.

Quoniam autem aliquando quidem delectabilius vel contristabilius intellectis aut quocumque modo apprehensis motus ille, quem rationis aut voluntatis esse dicimus, aliquando fit in partibus, quae sunt organa illorum motuum, aliquando autem non fit, oportet etiam huius nos assignare causam. Dicimus igitur, quod huius causa est, quod apprehensione facta aliquando in membris a formis apprehensis

23 *ante* iste *del.*: qui secundum rationem est in partibus huiusmodi motivis *m.* 1   24 loco *cor* | *dis* positum C locorum dispositum V.

est passiva materia, aliquando autem non est aut non tanta est, quod movere possit membrum, sicut supra diximus de motu, qui est a testiculo: aliquando etiam non est talis dispositionis, quod a forma apprehensa moveri possit, sicut diximus supra de frigidis, qui ad coytum non moventur, etiam quantumcumque formas venereas apprehendant. Figura igitur, quam descripsimus, est haec, quae est subscripta.



De partibus igitur motivis singulorum animalium, et de anima movente et de communi causa motus dictum est a nobis hic. Alibi autem diximus de Sensu et Sensato et de Somno et Vigilia et de aliis potentiis et passionibus et operibus animae. ‖ 348 v⁰. explicit Aristot. ζ κ 11, p. 704 b 3.

c. XI. Et est digressio declarans, quod omnis multitudo virtutum animae exit a corde et reducitur ad ipsum sicut ad causam.

In omnibus, quae de motu animalium induximus capitulis, satis percipi potest animam primo et per se in corde esse et cor esse in animali, sicut primum mobile ex motore immobili et moto corpore compositum est in ordine celorum, virtutes autem, quae sunt propriae membris, et maxime eas, quae sunt propriae principalium membrorum, esse, sicut sunt secundi et tertii motores celorum aut etiam stellarum: et ideo oportet nos hic investigare, utrum illae virtutes, quae sunt membrorum, sint separatae animae per se, sicut sunt motores corporum superiorum, vel non: de hoc enim Stoyci a Perypatheticis dissentiunt: et quia nos de hoc alibi satis disputavimus, ideo hic non inducemus, nisi quod ad propositam quaestionem de animatione animalium corporum videtur esse necessarium. Hoc autem est, quod nequaquam potestates membrorum principalium sunt animae separatae, aut substantiae separatae ab invicem opera vitae in membris exercentes. Quod enim quidam distinguentes dicebant esse quidem omnes has unam animam, plures autem substantias, nichil omnino habet convenientiae aut rationis, quoniam verius contrarium dicere debebant, quoniam anima est substantia, quae est forma opera vitae exercens in corpore organico: et ideo cum in

principalibus multa et differentia exerceat opera vitae, potius debebant illi dixisse, quod essent plures animae, sicut et Stoyci dicebant, quam quod essent plures substantiae; cum substantia forma dicatur, quae facit substantiam esse hoc, quod est: et scimus, quod talis substantia non est, nisi una in eo, quod est unum numero.

Hiis autem quasi contra rationem dictis praetermissis dicimus, quod multitudo, quae est organorum in corpore, est propter multitudinem potestatum in anima: propter quod etiam, sicut est relatio et colligatio membrorum ad unum et generatio ab uno, quod est cor, ita est relatio potestatum et effluxus ab una anima, quae est cordis: propter quod etiam cor est, quod primum et ultimum vivit in animalibus. Amplius cum omnem multitudinem necesse sit reduci ad unum aliquid, quod est causa multitudinis illius, patet, quod omnis multitudo potestatum animae necessario reducetur ad unum, quod est causa omnium potestatum, quae exercent opera vitae in animalibus: videmus enim omnes sensus in uno communi convenire univoce, quod est accipere sensibilem formam sine materia: et ideo oportet, quod ab uno exeant omnes, quod est formale respectu omnium ipsorum, sicut etiam in libro de Anima nos dixisse meminimus. II 1, 9. Divisio namque sensuum per organa divisio est formae per formata et per materiam: et quod efficitur ibi apprehensiva coloris vel soni, ab armonia est organi potius quam a virtute sensitiva formali communi.

Amplius omnis sensibilium acceptio in uno communi formali univoco convenit cum ymaginativa et fantastica et memoriali acceptione et ⟨a⟩estimativa. In hoc enim omnes istae conveniunt, quod accipiunt formam, non prout est actus materiae, sed prout est totius rei intentio et cum re ipsa idem: quia aliter ipsa res per ipsam non cognosceretur. Ex quo igitur sic in uno conveniunt, oportet et ipsas omnes unam naturam formalem univocam in omnibus eis habere per eandem, quam supra diximus, rationis necessitatem: quia quaecumque multa sunt unum univoce participantia, omnia primo sunt in uno, quod est causa omnium ipsorum, sicut omnia calida causantur ab ignis calore. Omnes igitur et istae potestates exeunt ab anima, quae est perfectio primi organi in animalibus, et hoc est cor, et reducitur ad ipsum: et causa multiplicationis ipsarum sunt organa, sicut et in sensibus diximus esse causam multiplicationis sensuum

27 *post* cum *del.* rei *m.* 1.

organa sensuum. Cum autem hiis potestatibus coniuncta sit motiva potestas secundum omnes differentias, patet, quod ipsarum multiplicatio et exit ab eodem et reducitur in idem vitae principium. Est enim invincibilis demonstratio omnium horum dans causam, quod videlicet causa primi sentientis et moventis compositi est, quod ipsum est movens seipsum et sentiens per seipsum, et quod universaliter est causa motus et sensus in omnibus, quae ad ipsum ordinantur. Sic enim primum movens seipsum et movens alia etiam in celestibus esse ostendimus. Cor autem solum est, quod est sentiens per seipsum et omnibus aliis est causa sensus, si non impediatur per accidens: et similiter est causa motus sibiipsi et omnibus aliis, nisi per accidens impediatur. Hoc autem sic probatur: Interceptis enim viis hiis, quae a corde ferunt sensum ad organa, accidit non fieri sensum in organis, etiam si nulla prorsus alia fiat in organo corruptio. || Intercepta 349 r°. autem quacumque via non propter hoc sensus in corde perimitur. Ex hiis ergo et huiusmodi patet omnes sensus et motus a corde primo effluere.

Quaeret autem fortasse aliquis, ad quid sint membra principalia secundum istam rationem? Si enim in cerebro non perficiuntur virtutes animales, videtur omnino supervacua esse natura cerebri. Et praeterea videmus expresse organa virtutum animalium esse in cerebro: et ideo videtur, quod non omnes hae virtutes a corde effluant. Sed omnia huiusmodi dubia citius solvuntur, si ad mentem revocetur, quod in praehabitis de natura et anathomia cordis determinatum est. Quamvis enim fons omnis virtutis sit cor, sicut necessitate demonstrationis probatum est a nobis, tamen haec virtus est indeterminata secundum quod fluit a corde: et secundum quod fluit ad membra principalia, determinatur et specificis potestatibus et partialibus distribuitur in ipsis: et propter hoc sunt dicta membra principalia, sicut virtus animalis specificatur et distribuitur in cerebro ad organa partialia et virtus naturalis distribuitur in epate, et sic est de aliis virtutibus, sicut facile patet ex hiis, quae saepius in de spir. et resp. I 1, 4; 2. libris physicis sunt determinata a nobis.

Sed tunc oritur quaestio ex praedictis, utrum virtutes et potestates animae differant ab invicem tantum per naturam organorum, an inter se aliquam formarum et differentiarum habeant differentiam? Fuerunt enim quidam, qui dixerunt omnes vires unam esse

24 praehabitis] v. praef. in aliis libris animalium V (de animal. I 3, 4).

animam nec differre, nisi sicut differt lux in aere et in nube et cera et luto, in quibus propter materiae diversitatem diversa operatur: et ideo dicunt auditum idem esse cum visu, quando abstrahuntur hii sensus ab aure et oculo. Sed si hoc est verum, quod dicunt, tunc anima de se non habet diversas potestates, sed potius causa diversitatis potestatis est organorum diversitas: et hoc est impossibile, quia materiae tota diversitas est a diversitate formae, sicut in antehabitis saepe ostendimus. Propter quod dicimus, quod potestates animae sunt naturales potentiae ipsius et causantur a substantia et natura ipsius et sunt natura et causa ante organa corporis, licet forte tempore simul sint cum ipsis. Habent autem differentias formales, sicut differunt partiales potestates sub universali potestate; et hae differentiae sunt naturales animae potentiae, propter quas non potest esse perfectio nisi corporis organici tantum et non potest esse in corpore omogenio: sed potius, sicut in civilibus potestas regni constituitur ex multis partialibus potestatibus in una potestate monarchae unitis et ab ipsa monarchia effluentibus: ita est in partialibus animae potestatibus, sicut patet per antedicta, et in omnibus hiis, quidquid potest potentia inferior, potest superior eminentiori et excellentiori modo, sed non convertitur.

Secundum hunc igitur modum anima est in corpore primo quidem per substantialem actum, sedem habens in corde, et ex illo influens membris omnibus partiales potestates, quae quibusdam membris influuntur magis universaliter, et illa vocantur principalia: quibusdam autem magis particulariter, et illa non principalia membra vocantur: et sic unitur corpori sicut monarchiae potestas unitur civitati, sicut in Physicis dictum est.

de animal. XII, 1 1 sq. Et ideo patet omnino frivolam esse distinctionem, quam quidam dederunt dicentes animam dupliciter considerari, ut actum videlicet sive formam materiae et ut motorem. Et dicunt, quod si consideratur ut actus materiae, sic est in toto tota anima: si autem ut motor, tunc non est in toto tota, sed potius secundum unam partem est in membro uno et secundum aliam partem potestatis suae est in membro alio. Anima enim numquam habet aliam considerationem, nisi sicut actus, et quia difinitur per hoc, quod ipsa est actus. Sed cum dicitur actus, non est ipsa actus, nisi sicut motor potestates

7 *ante* diversitate *del.* a materie *m.* 1.

suas exercens in organis. Non enim possibile est, quod ipsa sit actus simplex sicut forma, quae nichil habet amplius, nisi quia forma est materiae: differt enim ab ipsa et ideo dicitur anima et non forma materiae: et ideo animatio sua, qua animat corpus, est per potestates ipsius: et ideo diximus et probavimus in praemissis, quod, si quodlibet membrum esset separatum, potestas, quae est in ipso, esset anima eius.

Propter quod patet, quod anima non habet aliam unionem cum ipso nisi unionem potestatis: nam *si* aliter uniretur ei anima, potestas membri non esset anima eius, sed partialis potentia animae: et ideo errant omnes sic distinguentes: et tamen multi adhaerent huiusmodi distinctionibus, eo quod imperiti nostri temporis homines magis quasdam fingunt distinctiones quam veritatem philosophiae. Ex hiis etiam patet immediate animam uniri corpori per huiusmodi potestates, et spiritum non esse nisi instrumentum ipsius et vehiculum virtutum: sed de hoc alibi dictum est a nobis. || 349 v⁰. de spir. et resp. I 1 Eo autem modo, quo diximus potentias animales a corde oriri, oriuntur a corde etiam naturales per eumdem modum necessitatis: si enim omnis potentia vitae necessario a vitae principio et omnes potentiae vegetabilis sunt potentiae secundum opera vitae, oportet, quod et ipsae a fonte vitae oriantur. Et quia has rationes demonstrationis vim habentes non consideravit Galienus, ideo aberravit mirabili errore, ita (ex Avicenn. canon. I 1,6,1 (ed. Venet. 1490.)) quod ex dicto suo sequitur in una et eadam et eiusdem naturae multitudine diversa esse principia, et quod ea, quae ex uno generantur, virtutem ex ipso non accipiant: et quod virtutes plures, quas nichil unit, perficiant et constituant unum et idem animal: et alia multa et absurda, quae medici sequentes Galienum defendunt nons ubtiliter investigantes naturam animalis, sicut nos saepius in antehabitis diximus.

c. XII. Et est digressio declarans, utrum intellectus practicus et proh(a)eresis et voluntas fluant a corde vel non.

De parte autem intellectiva animae forte dubium est, utrum cum aliis exeat ab eodem fonte vel non? Videtur autem maxime a corde fluere cum aliis propter hoc, quod intellectus et voluntas et proh(a)eresis sunt motivarum partium animae: motus autem omnis est a corde: et cum idem moveat, cui fit nuntium de delectabili et tristi, videntur istae potentiae a corde fluere. Ec ontrario autem videtur esse, quod in libro de Anima bene determinatum est, quod intellectus III 2.

8 si *supr. lin. m.* 1.

nullius corporis est actus: et si nullius corporis est actus, non videtur esse actus cordis et eadem ratione neque proh⟨a⟩eresis neque voluntas.

Amplius, cum intellectus universalis sit in agendo sicut et proh⟨a⟩eresis in eligendo et voluntas in volendo, nulla autem potentiarum organicarum sit universalis, videtur, quod nulla istarum sit organica: quaecumque autem est in corde, aut in alio corpore, est organica: videtur igitur, quod nulla istarum sit in corde.

Ad horum autem et similium determinationem oportet scire, quod primus motor intellectualis et non organicus, sed omnino indivisibilis et impartibilis est in primo mobili, non sicut virtus organica in organo, sed potius sicut motor in eo, quod movet, cui influit formam moventem, quam non habet ab ipso. Tripliciter enim unitur motor mobili, scilicet cuius esse et actus movendi est secundum naturam mobilis: et cuius esse non est secundum naturam mobilis, sed actus: et cuius nec esse nec actus est secundum naturam mobilis, sed forma motus influitur per motum, quo motor movet mobile. Et primi exemplum est in sensibilibus vegetativis. Secundi autem exemplum est in nauta in comparatione ad navim, sicut diximus superius. Tertii autem exemplum est in arte et in instrumento artis. Artifex enim nec esse nec actum artis habet a dolabro, sed tamen per dolabrum inducit formam artis in naturam artificiati: et hoc modo unitur intellectus corpori: et ex hoc non sequitur, quod sit corporis actus, sed potius separatus, sicut ars separata est ab instrumento artificis.

Est igitur intellectus et similiter proh⟨a⟩ersis et voluntas potentia quaedam animae, quae est in corde: sed non fluunt ab anima hae potentiae, in quantum est in corde, sed potius in quantum est separata sub forma naturae intellectualis, sicut in antehabitis dictum est: et tamen intellectus movet per modum, quem diximus, sicut ars separata movet instrumentum: tota enim materia corporis se habent ad intellectum, sicut instrumenta se habent ad artem, sicut saepius in antehabitis determinatum est. Cum autem una sit substantia animae, quae habet potentias separatas et coniunctas corpori ad formam separatam intellectualem, sequitur motus in corde propter unionem potentiarum separatarum cum hiis, quae unitae sunt organo in una et eadem animae substantia, praecipue cum forma movens sit forma ad rem comparata: in qua comparatione particulatur forma et determinatur ad materiam eo, quod in universali nichil est imitandum vel fugiendum, vel delectabile aut triste: et ideo universa-

libus nichil est de imitando aut fugiendo: propter quod etiam, cum universale ad rem determinatur, accipit formam particularem in fantasia de fug⟨i⟩endo aut imitando: et quia illae tales sunt virtutes organicae, non est mirum, si cor movetur in talibus dilatando se et contrahendo: ‖ omnis enim intellectus practicus sive operativus for- 350 r°.
mam, quam habet, et scientiam determinat ad particulare bonum, circa quod est opus: et ideo sua forma non est per modum resolutionis, sed per modum comparationis et in comparatione illa forma determinatur ad ymaginationem et sensum, sicut patet in operationibus medicorum et archytectonicorum et omnium eorum, qui ex arte aliquid operis perficiunt.

Sic igitur anima unitur corpori et movet et regit corpus.

c. XIII. Et est digressio declarans, secundum quot et quos actus anima movet corpus et unde habet potentias operum ipsorum.

Oportet autem scire, quod anima, sicut in snperioribus determinatum est, producitur a causa prima sub lumine intellectus celestium substantiarum ex semine habente in se virtutem animae et corporis generantis et virtutem totius celestis peryodi et virtutem commixtionis omnium elementorum, quae praecedentia animam reducuntur ad quinque: et ideo quatuor modis se habet ad corpus hominis anima. A causa enim prima, cuius ipsa et resultatio aliqua propinquior vel distantior, potestates et virtutes habet creatrices in corpore: a lumine autem intellectum celestium, cuius etiam est resonantia quaedam clarior vel obscurior, habet aliquam maiorem super materiam corporis elevationem: ab anima autem generantis habet virtutem formantem et assimilantem: et a corpore generantis habet materiam et vasa, in quibus potest ex facultate ipsorum vasorum operari partes similes vel dissimiles, congruas organice operibus suis: a virtutibus autem celestibus virtutem habet figurativam: et a virtutibus elementorum virtutes habet depurativas nutrimentorum et eductiones superfluitatum. Haec autem ad quinque in communi reducta sunt, divina et intellectualia, animalia, celestia et naturalia vocata a plerisque physicis, praedicto modo distinguuntur.

Virtus igitur divina creatrix est et eductrix formarum: eo quod omne, quod in seminis materia est, oportet formari ad esse: et simi-

---

13 Et est digr. declar. *supr. lin. m.* 1.

liter, quod per modum nutrimenti et augmenti ingreditur, formam accipit animati: et similiter, quod per generationem egreditur de animato, virtutem formantem accipit et haec omnia omni conveniunt animato. In sensibilibus autem formantur formae ymaginationum, et in rationalibus formantur formae intelligibilium: et omnis huiusmodi formarum creatio non potest esse in anima, nisi una communi virtute, quae ideo divina vocatur, quia divinitatis est ista virtus per se, nec potest participari haec virtus, nisi per aliquam divinae virtutis in anima resultationem: et haec est virtus, quam primo manifestat anima in corpore et ad quam omnes aliae referuntur virtutes, et ipsa propter hoc est formalis et prima.

Intelligentiae autem virtus est in elevatione sui supra materiam: et haec manifestatur secundo post primam in duobus actibus. Intellectus enim separatus est secundum se ab omni materia et materiae appendiciis: et ideo resultatio sua aliquam habebit separationem, quam quidem omnis anima assequitur in hoc, quod ipsa est super materiam non oppressa ab ea, sicut opprimitur forma naturae. Cognoscitur autem in hoc, quod agit ad formam non materiae, sed separati, quia agit ad vitam et nutrimentum et augmentum, quod nulli omnino materiae corporum per virtutem materiae convenit. Secunda autem operatio est distinguere in diversas formas id, circa quod et in quo operatur, sicut in folium et ramum et radicem et stipitem et alam et pedem et os et nervos et huiusmodi: haec enim distinctio primo et per se convenit intellectui, et per ipsum convenit ei, quod est resultatio intellectus in animatis: et quo fuerit resultatio expressior, eo magis est distinctiva: et quo fuerit resultatio obscurior, eo est minus distinctiva: et ideo magis est distinctiva rationalis quam sensibilis, et magis est distinctiva sensibilis quam vegetabilis: forma autem naturalis omnino deficit ab huiusmodi distinctione: et hanc virtutem manifestat anima informativa, quae est in semine, in distinctione organorum et membrorum similium unum faciendo corticem et aliud lignum et aliud os et aliud carnem et sic de aliis, et in corpore animato distinguit nutrimentum secundum differentias membrorum. Sensibilis autem insuper confert et distinguit intentiones et sensibilia. Et rationalis distinguit veritates et quidditates rerum ex huiusmodi virtute.

Ea autem virtus, quam habet ab anima generantis, est, quae est, secundum rationem animae: et haec est potentia assimilandi

organa, ut agant operationes, quae non sunt nisi vitae operationes; sicut sentire, videre et audire: omnia enim haec sunt opera vitae, similiter autem nutrire et augere et generare et huiusmodi: omnia enim haec sunt opera secundum potentiam vitae perfectae, sicut in libro nostro de Anima diximus, quae opera non habet nisi ab eo, [II 2, 1 sq.] quod per se in tali corpore organico est causa et principium vitae, et hoc est anima, sicut in secundo de Anima probavimus. Virtus [II 2, 2.] tamen, quae est a generante, gemina est: quia una est ab anima, sicut diximus, et alia est a corpore, quae est, quod ipsa materia virtutem habeat vasorum, ut in ipsa assimilata ad finem veniant animati agentis opera vitae. Hoc enim non habet calidum, in quantum calidum, nec frigidum nec humidum nec siccum, in quantum huiusmodi sunt: neque habet hoc mixtum ‖ in quantum est mixtum [350 v⁰.] ex omnibus: quia omne mixtum ex omnibus haberet: sed hoc est organorum corporis, in quantum ratio organi proportionem habet ad animam: et ideo cum haec proportio varietur secundum diversas relationes ad diversas animas, non potest esse organum unius animae hoc, quod est organum alterius.

A virtutibus autem peryodi totius habet potestatem figurandi, et quando primo format figuras membrorum, et etiam postea, quando nutrimentum terminat ad figuram membrorum et augmenti quantitatem distribuit secundum congruam uniuscuiusque membri figuram secundum proportionem quantitatis, quae debetur omni figurae. Habet autem adhuc aliam a peryodo operationem, quae est commensuratio potentiarum ad augmentum et statum et declinationem et terminum omnis animati.

A potentiis autem elementorum digestivae virtutes accipientes posse movent corpus animatum quoad quasdam partes ad decoquendum et assimilandum et quoad quasdam ad convertendum et uniendum et quoad quasdam ad expellendum id, quod est impurum: ethiis magis et secundum dictas potestates omnis anima movet corpus, differenter tamen vegetabilis et sensibilis et rationalis, sicut praedictum est.

Motum autem localem, sive in membro uno sive in toto fiat animali, non perficit anima ex potentia una, sed potius aut duo aut tria sunt principia moventia, sicut et in antehabitis et in tertio de Anima dictum est. Et ideo ad motum oportet concurrere eam, quae [III 4, 3.] est formarum creativa, et haec est divina: et causa, quae participat lumen intelligentiae aut est resultatio ipsius sicut fantasia et haec est intellectus quaedam similitudo; et oportet concurrere distinctivam

eius, quod quaeritur, ab aliis quaesitis, quae est sicut eligentia: et oportet convenire animalem in appetitu: et haec sufficiunt quoad moventem, dummodo sit in hoc similitudo quaedam intelligentiae, quod elevetur super materiam: quia aliter non movebit eam. Et ex hiis quatuor virtutibus componitur movens in movendo et ab ipsis habet et quod movet et quod movere potest. Membra autem mobilitatem habent a ratione illa et proportione organizationis, et non in quantum sunt mixta vel in quantum sunt ex elementis. Organum enim in quantum organum diffinitur ad motorem et ipsa sua perfectio est virtus organica, sicut nauta perfectio est navis, et sic ab uno solo habet mobilitatem talis motus, et motor, quod movere potest, habet a quatuor virtutibus, quas diximus.

Quod autem motus secundum actum fiat, perficitur a tribus, quorum unum est movens, extra quod est delectabile vel, ut universaliter dicamus, bonum; alterum est carentia ipsius; tertium autem est possibilitas habendi ipsum per motum. Et primum quidem horum est ab eo, quod est extra, ut diximus; secundum autem ab imperfectione commixti et materialis et elementalis corporis; tertium autem est a peryodo, cuius extenssio secundum mensuram eorum, quae moventur, causat, quod ea, quae sunt de perfectione animati, non simul, sed per motum et successionem aqquiruntur. Sic igitur et per haec et dictis modis anima movet corpus. Virtus autem elementalis, quamvis non moveat, operatur tamen ad mobilitatem ex parte membrorum, sicut patet, quod calor adducit spiritum et laxat nervos moventes et cordas et lacertos; humidum autem mollificat, ut flexibilia sint in girationibus et motu: siccum autem tenet, ne nutent et flectantur sustentantia: et frigidum complexionale continet, ne evaporent spiritus et virtutes ex calore motus. Et secundum hunc modum patet, qualiter omnes superius dictae virtutes ad motum animalium operentur. Qualiter autem motus animalis girativus est et circularem imitatur, in libro de Motibus animalium iam a nobis determinatum est. II 1, 2.

Qualiter igitur anima unitur corpori et qualiter movet ipsum, a nobis determinatum sit hoc modo. Haec enim coniuncta aliis, quae de hoc dicta sunt, satis sufficere videntur secundum intentionem praesentis operis.

---

13 perficitur perficitur C   19 *ante* peryodo *del.* a peryodo *m.* 1.
27 sustentantia *m.* 2.